
SANCTI IOANNIS DAMASCENI ADVERSVS SANCTARVM IMAGINVM OPPVGNATORES ORATIONES TRES,

Petro Francisco Zino Veronensi interprete.

Domus S. M Magdalenę Urbis.



VENETIIS,
M. D. LIIII.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS. SANCTAE Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Marcello Ceruino, Petrus Franciscus Zinus S. D.

EANDEM *prope uidentur rationem imagines obtinere, Marcelle Cardinalis amplissime, ac sapientissime, si cum rebus ipsis, quas referunt, comparentur, quam umbræ, si cum corporibus conferantur. Quamobrem admirantur nonnulli, cur uel tam seuere in ueteri testamento prohibitæ fuerint, uel post noui promulgationem tam acri studio defensæ sint. Cur* Deus*, earum cultores tantopere aut olim oderit & uindicarit, aut nunc amet & innumerabilibus ornet beneficijs. Cur non minori cura* Diabolus *quondam ad ipsarum cultum* Iudæos *allice=ret, quàm in præsentia* Christianos *homines ab eo retrahendos curet. Cur denique* Ecclesia Catholica *decretis suis illas in concilijs etiam approbarit, earumq́; oppugnatores damnandos censuerit. Sed maioris profecto ponderis res est, quàm existimetur.* Idemq́; *nunc efficit contemptus imaginum, quod olim efficiebat illarum cultus. Iccirco perpetuus ille* Dei

atque hominum hostis Diabolus, *qui nihil maiore studio quærebat, quàm ut* Iudæos *ad* Imagines *colendas impelleret, nunc machinis omnibus & uniuersa suorum satellitum manu ad eas impugnandas, aut contemnendas nos conatur adducere.* Et Deus *optimus maximus, qui cultores earum maximis supplicijs coercebat, nunc amplißimis muneribus cumulat.* Vt *cum &* Deus *immutabilis sit, ac singularis eius erga genus humanum beneuolentia, &* Diaboli *item immutabilis in peccato pertinacia, atque incredibilis in homines maleuolentia, colligendum sit necessario, idem utrique semper fuisse propositum,* Deo *nimirum, ut hominum genus esset felicißimum,* Diabolo *autem, ut miserrimum:* Itaque *cum humana felicitas in ipsius ueri* Dei *cognitione, & cultu sita sit, miseria autem in eo potißimum consistat, ut, uero* Deo *ignorato, neglecto'ue, diuini falsis numinibus honores tribuantur, nihil autem aut olim, cum ipse* Diabolus *ab omnibus fere gentibus in rerum procreatarum simulacris & imaginibus coleretur, magis esset periculosum, quàm ne unus ille populus, quem sibi* Deus *elegerat, simulacrorum & imaginum cultu à uera* Dei *cognitione & pietate auerteretur: aut nunc, cum princeps huius mundi eiectus est foras, & omnes propemodum illius imagines & simulacra euersa deletaq; sunt, magis homines ad religionem, & eorum, quæ* Dei *filius, posteaquam factus est homo, & in terris cum hominibus uersatus, pro salute nostra tum per se, tum in membris suis gesit, & pertulit, cognitionem ducat, & trahat, quàm sanctæ imagi-*

nes, quarum aspectu sine ullo legendi labore dulcis in animos non solum uirorum eruditorum, sed etiam rudium & simplicium muliercularum, & puerorum, memoria, & cognitio rerum, quæ à Christo, & sanctis hominibus gestæ sunt, influat; propterea, Diabolo semper aduersante, & Iudæis quondam prauus Imaginum usus uetitus fuit, & bonus nobis concessus, & commendatus. Atque utinam, quemadmodum sacræ imagines ab Ecclesia Catholica defensæ comprobatæq; sunt, sic obscœnæ & impiæ, quæ paßim in publicis, priuatisq; ædificijs magna cum pudicitiæ bonorumq; morum iactura, & Christianæ Reip. dedecore cernuntur, delerentur, atque interdicerentur. Quantum enim ueneni ex imaginibus istis, quibus nefarij falsorum Deorum, & improborum hominum amores, & scelera, atque flagitia describuntur, hauriant teneri puerorum, & mulierum, immo uero omnium animi; facile quiuis potest intelligere. Quanta autem inde nomini Christiano inuratur infamiæ atque ignominiæ nota, ex eo patet, quòd, si quis è regionibus illis, quas à ueteribus ignoratas solertia nostrorum hominum adinuenit, in aliquam Christianorum principum urbem ingrediatur, ex picturis, & statuis, quas intuebitur, se non gentis sanctæ, & unum, ac uerum Deum colentis, sed impiæ atque impudicæ, & Dæmonas uenerantis ciuitatem cernere existimabit. Quòd si res nostræ tam essent angustæ, aut obscuræ, ut nullum pictoribus argumentum subministrarent; aliqua fortasse, licet minus idonea, afferri posset excusatio. nunc autem,

cum tanta sit apud nos rerum maximarum optimarumq; copia, quanta ne fictarum quidem apud reliquas omnes gentes existit, quæ nam tam praui & peruersi moris causa potest esse, nisi summa Diaboli *astutia, qui cum sanctissimas imagines tollere nequeat, atque ita ueri* Dei *cultum imminuere, nefaria nequissimarum* Imaginum *multitudine idem conetur efficere? Quo magis optimo cuique elaborandum est, ut patefacta hostis malitia picturis undique obscœnis & impijs exturbatis, non solum templa, sed etiam publica & priuata ædificia Sanctis* Imaginibus *exornentur. Quod erit facillimum, si* Principes, *quorum mores & facta populus imitatur, non tam edictis, quàm exemplis id sanxerint.* Maioris *certe momenti est sanctus* Imaginum *usus, quàm ut facile possit explicari. Sic autem ab antiquis* Patribus, *uiris sanctissimis, & doctissimis, in honore habitus atque defensus, ut mirum sit, miseris nostris temporibus quosdam rerum non tam nouarum, quàm malarum studiosos ausos esse, eum semper ab* Ecclesia *comprobatum in dubium reuocare.* Verum *quid non audeant homines impij, quo ambitioni, & auaritiæ, & libidini, &* Principi *suo* Diabolo *pareant & obsequantur? Pertinax istorum atque impudens amentia & si perpetua* Ecclesiæ *Catholicæ consuetudine decretisq; & peritissimorum hominum scriptis infringitur, nemo tamen è græcis, aut* Latinis *scriptoribus est, quod equidem sciam, qui argumentum hoc uberius diligentiusq; tractarit, quàm* Ioannes Damascenus *his tribus orationibus, quas anno superiore doctissimorum*

uirorum Nicolai Maiorani & Gulielmi Sirleti indu stria è tenebris, in quibus laceræ diu iacuerant, erutas, & græce in lucem prolatas, cum tu, ad quem honoris gratia salutandum una cum nobili, doctoq́;, ac pio uiro Aloisio Priulo ueneram, ita commendares, ut eas te ad communem utilitatem ab aliquo in latinum uerti cupere animaduerterem, id mihi munus, si nemo anteuertisset, suscipiendum existimaui. Atque ita feci. Qua quidem ex re quem alij fructum sint accepturi, haud facile dixerim, ego certe plurimum inde commodi uoluptatisq́; percepi. Cum enim eodem fere tempore contigisset, ut Illustrißimus ac Reuerendißimus Cardinalis Reginaldus Polus patronus meus, pietatis atque animi causa, tum alia loca sanctißima, tum celeberrimam inprimis ædem Lauretanam inuiseret, fuerunt mihi comites iucundißimæ & peropportunæ. Eas igitur in ipso itinere latinas facere aggressus sum, tantumq́; abfuit, ut ab eo proposito me deterreret crebra earundem rerum atque uerborum repetitio (multa enim in secunda oratione, quæ sunt in prima, multa item in tertia, quæ prima, secundaq́; continet, repetuntur) ut id mihi etiam iucundum fuerit. Videbam enim hominem sanctum atque eruditum eò spectasse, non ut laudem propriam aucuparetur, sed ut propagaret gloriam Dei, et prodesset quamplurimis. Præterea me simplex illa scribendi ratio magnopere delectabat, quæ quanquam delicatis fortasse quorundam auribus haud ita satisfaciet, proxime tamen ad priscam illam scribendi simplicitatem accedit, qua uetustißimos atque optimos

omnium scriptores tum nostros, tum externos usos animaduertimus, quibus, cum res ita posceret, eadem totidem uerbis iterum ac sæpius repetere religio non fuit. Laborem autem hunc nostrum, qualiscunque sit, dicamus tibi, uir amplißime, eximiumq; Ecclesiæ Romanæ columen atque ornamentum, uel quia tu mihi sermone tuo occasionem dedisti, ut illum subirem, uel quòd tibi acerrimo & sapientißimo Ecclesiæ institutorum defensori & propagatori maxime conuenit, uel denique quoniam mihi nihil aliud in præsentia suppetit, quo poßim incredibilem meam erga te obseruantiam declarare. Tu, qua es humanitate, tres ex amœnißimo hoc, quem mihi liberalißimus, tibiq; deditißimus Veronæ Pontifex Aloisius Lipomanus largitus est, sacro agello, studijs nostris aptißimo, haud inuenustos flores oblatos existima. Vale. Ex oppido Lonati prope Benacum sito. Kal. Aprilis. M. D. LIIII.

Vide Hortu Pastorum de S. Jo: Damasc. fol. 279. ... Non est tamen De amputata eius dextera

SANCTI IOANNIS DAMASCENI ADVERSVS SANCTARVM IMAGINVM OPPVGNATORES,

ORATIO PRIMA.

DEBEBAM equidem, propriæ conſcius indignitatis, in perpetuum tacere, Deoq; peccata mea confiteri. uerum, cum omnia, quæ tempore geruntur opportuno, laudabilia ſint; uideam autem Eccleſiam, quam Deus ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, exiſtente ſummo angulari lapide Chriſto filio ipſius, ædificauit, tanquam in maris tempeſtate improborũ impetu uentorum excitata, premi ac perturbari, & Chriſti tunicam audaciſsimis impiorum hominum conatibus diuidi, & corpus ipſius, quod eſt uerbum Dei, Eccleſiæq; diuinitus confirmatæ præcepta & inſtituta uariis ſectionibus diſtrahi, atque conſcindi; mihi tacendum eſſe non cenſeo, nec linguam ſilentii uinculo coercendam, illam Dei ſententiam ueritus, ita comminantis: Si retraxerit ſe, non pla- Abac.2.

Centum et 20 annis continuis maximum duravit piis Sac. Imaginũ cultoribus. [illegible] [illegible]
[illegible]

Ezec.33. cabitur in eo anima mea. Et si uideris gladium
uenientem, & fratri tuo non denuntiaueris,
abs te requiram sanguinem eius. Hoc igitur
graui metu perculsus ad dicendum accessi, nec
ueritati regiam amplitudinem prætuli. Lo-
quebar enim, inquit diuinus ille Pater Dauid,
Psal.118. in conspectu Regum, & non confundebar.
Quin etiam ob id magis sum incitatus. Nam
ad subiectos populos decipiendos multum ua-
let Regis auctoritas. Pauci enim, nimirum il-
li, qui terrarum Reges cœlestis Regis impe-
rio gubernari, & leges debere Regibus impe-
rare sciunt, iniqua eorum iussa negligunt & a-
spernantur. Hoc igitur tanquam fundamento
disputationis posito & constituto, ut ecclesia-
sticæ constitutionis obseruatio, per quam salus
paritur, teneatur, orationi campum, in quo
tanquam equus recte frenis obtemperans è car
ceribus dimissus, excurreret, patefecimus. Ve
re enim, & ultra quàm dici posit, absurdum
existimamus, Ecclesiam tam multis fulgen-
tem excellentemq; dignitatibus, & sanctissi-
morum hominum maiorum nostrorũ institu-
tis ornatam reuerti ad egena elementa, ibiq; tre
Gal.4. pidare timore, ubi non est timor. & tanquam
Psal.52. ueri Dei ignaram ad simulacrorum cultum
præcipitem ruere, & uel latum unguem à per-
fectione discedere, & quasi næuum quendam
in medio formosissimi oris gestantem, eo tan-
quam puncto quantitatis experti totam pul-

chritudinem maculare. Parua enim parua non ſunt, ex quibus magna proueniunt. Neque uero paruus error eſt, uetera Eccleſiæ inſtituta conſuetudine iam confirmata conuellere, atque ita maiores noſtros quodammodo condemnare, quorum uitam contemplantes imitari fidem nos oportebat. Primum igitur, Dominum omnipotentem, cui nuda & aperta ſunt omnia, & purum atque ſincerum, hac quidem in re humilis animi mei propoſitū patet, obſecro, & obteſtor, ut mihi os aperienti uerba ſubminiſtret, & mentis habenas proprijs manibus dirigat, eamq; ad ſeipſum trahat, ut in eius conſpectu per rectam ſemitam incedat, neque dextrorſum, neque ſiniſtrorſum declinet. Deinde precor uniuerſum Dei populum, gentem ſanctam, regale ſacerdotium una cum bono Chriſti gregis ratione præditi paſtore, qui ſacrum in ſe ipſo Chriſti imperium exprimit, ne uel dignitatem, quæ in me perquam exigua eſt, uel uerborum artificium, quo ego egenus & pauper plane careo, poſtulent, ſed ſententiarum uim attendant. Non enim in ſermone, ſed in uirtute conſiſtit regnum cœlorū. Nec uincere, ſed oppugnatæ ueritati opitulari, eamq; laborantē fortitudinis manu defendere ac tueri nobis propoſitum eſt. Veritatis igitur in ſe conſiſtentis auxilium implorans hinc orationis initium ducam. Noui illum, qui ſine mendacio Exo.20.

dicit: Dominus Deus tuus Dominus unus est. Et, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et, non habebis deos alienos. Et, Non facies tibi sculptile, omnem similitudinem eorum, quæ in cœlo sunt sursum, aut in
Psal.96. terra deorsum. Et, Confundantur omnes, qui adorant sculptilia. Et, Pereant dii, qui non fecerunt cœlum & terram. Et quæcunque eo-
Heb.1. dem modo Deus olim locutus Patribus in Prophetis, in nouissimis diebus locutus est nobis in unigenito filio suo. Non ignoramus
Io. 17. eum, qui, Hæc est, inquit, uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Credimus in unum Deum, unum rerum omnium principium, principio carentem, increatum, incorruptibilem, immortalem, æternum, & sempiternum, incomprehensum, incorporeum, qui sub aspectum non cadit, & circunscribi non potest, & figura caret. Essentiam unam essentia superiorem, Diuinitatem diuinitate præstantiorem in tribus personis, patre, filio, & spiritu sancto. Hunc solum adoro. Huic soli latriæ cultum tribuo. Deum unum adoro, Diuinitatem unam, sed trinitatem etiam adoro personarum, nempe Deum patrem, & Deum filium carnem humanam indutum, & Deum spiritum sanctum, qui tamen non plures sunt dii, sed unus Deus. Non adoro rem creatam præter creatorem, sed creatorem, qui creauit

me, & ad me nec dignitatis suæ iacturam faciens, nec diuisionem ullam admittens descendit, ut naturam meam cohonestaret, & naturæ diuinæ participem faceret. Adoro simul cum rege & Deo corporis purpuram, ut ita dicam; non tamen ut indumentum, neque ut quartam personam, (absit) sed ut quæ declarata sit Deus, effectaq; id, quod unxit, sine mutatione. Neque enim natura carnis facta diuinitas est. sed quemadmodũ uerbum sine immutatione caro factũ est, manens id, quod erat, sic & caro uerbum facta est, non amittẽs id, quod est, sed potius cum uerbo idem effecta, quantũ pertinet ad personã. Itaque Dei inuisibilis imaginem audeo conficere, non quatenus inuisibilis est, sed quatenus propter nos uisibilis factus, carnis, & sanguinis est particeps. Imagine non diuinitatem inuisibilem, sed carnem uisam exprimo. Nam si animæ simulacrum effingi non potest, quanto minus ipsius Dei, qui animæ, ut esset expers materiæ, largitus est? At Deus per Mosem legislatorem, Dominum Deum tuum, inquit, adorabis. Et, Exo. 20.
Non facies omnem similitudinem eorum, quæ in cœlo, & quæ in terra sunt. Errant plane, 2. Cor. 3.
fratres, qui scripturas ignorantes, nesciunt literam occidere, spiritum autem uiuificare, nec spiritum sub litera absconditum perscrutantur. Istos ego iure sic possem alloqui. Qui uos istud docuit, doceat etiam illud, quod se-

quitur. Disce, quomodo id legislator interpretetur, sic in Deuteronomio dicens: & locutus est Dominus ad nos de medio ignis, uocem uerborum uos audiuistis, & similitudinem non uidistis, sed uocem tantum. Et paulo post, Et seruate, inquit, ualde animas uestras, quia similitudinem non uidistis in die, qua locutus est Dominus ad uos in Horeb, in monte, de medio ignis, ne quando contra legem agatis, faciatisq; uobis ipsis sculptile simulacrum, omnem imaginem, similitudinem masculi, aut fœminæ, similitudinem omnis iumenti, quod est super terram, similitudinem omnis uolucris pennatæ, & cætera. Et paucis uerbis interiectis, Et ne quando suspiciens in cœlum, & solem, ac lunam intuitus, & stellas, atque omnem coeli ornatum, errore ductus adores ea, & seruias ipsis. Cernis, quomodo unum illud propositum sit, ne rem creatam adores præter Creatorem, ne'ue cuiquam præter ipsum latriæ cultum attribuas? Iccirco enim ubique cum adoratione latriam coniungit. Rursum enim, Non erunt, inquit, tibi alii Dii præter me. Non facies tibi ipse sculptile,
Deu. 20 neque ullam similitudinem, non adorabis ea, neque latria coles. Quoniam ego Dominus
Deu. 7 Deus uester. Et rursum, Aras, inquit, eorum subuertetis, & confringetis columnas ipsorum, & lucos ipsorum succidetis, & simulacra deorum ipsorum igne cōburetis. Et pau-

lo post, Et Deos, inquit, conflatiles non facies tibi. Vides, quomodo uitandi simulacrorum cultus gratia imagines fieri uetet, nec fieri posse, ut Dei, qui nec quantitatem habet, nec circumscribi aut perspici potest, effigies exprimatur? Neque enim formam, inquit, ipsius perspexistis. Quemadmodum Deu.4.
& Paulus in medio stans Areopagi, Genus igitur, inquit, Dei cum simus, non debemus exi Act.14.
stimare, auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis diuinum esse simile. Iudæis igitur, quoniam ad simulacra colenda erant propensiores, hæc iussa sunt. Nos autem, quibus, ut theologice loquar, datum est, ut superstitiosum errorem fugientes, & ueritatem cognoscentes, pure cum Deo uersemur, eiq; soli seruiamus, & perfectas diuinæ notitiæ diuitias assequamur, infantiamq; prætereuntes in uirum perfectum euadamus, non sumus amplius sub pædagogo, quippe qui discernendi uim à Deo, atque habitum consecuti, sciamus, quid imagine exprimi posit, quid non posit. Neque enim formam, inquit, ipsius uidistis. Quis legislatoris sapientiam non admiretur? Quomodo enim illius imago, qui sub aspectum non cadit, explicabitur? Quomodo illius effigies, qui nullam habet effigiem, exprimi poterit? Quomodo is, qui & quantitate, & magnitudine uacat, & nullo termino concluditur, effingetur? Quo-

modo illius, qui forma caret, qualitas adumbrabitur? Quo modo qui corporis est expers, coloribus describetur? Quænam igitur hic arcana ratio? Ea nimirum, ut, cum uideris illum, qui corpore uacat, propter te factum esse hominem, tunc humanæ illius formæ similitudinem efficias. Cum is, qui cerni non potest, carnem indutus, se conspicuum præbuerit, tunc illius imaginem exprimas. Cum igitur ille, qui propter naturæ præstantiam & corpore, & figura, & quantitate, & qualitate, & magnitudine caret, in forma Dei existens, forma serui suscepta, sese ad quantitatem qualitatemq; contraxerit, & corporis formam induerit, tunc eum in tabula coloribus exprime, conspiciendumq; propone, qui se conspici uoluit. Incredibilem eius demissionem explica. Ortum illius è uirgine, baptisma in Iordane, transformationem in monte Thabor, cruciatus illos, ac mortem, quæ uitæ atque immortalitatis nostræ causa fuit, res admirandas carnis ministerio, sed ui diuina confectas, quæ diuinam ipsius naturam indicabāt, describe. Crucem illam salutarem, sepulturam, resurrectionem, ascensum in cœlum, hęc omnia & coloribus, & uerbis expone. Ne uerearis, ne timeas. Adorationum differen-
Gen. 23. tiam noui. Adorauit olim Abraham filios Emmor homines impios, & ignorationis Dei morbo laborantes, cum in hæreditatem sepul

turæ

turæ ſpeluncam duplicem emit. Adorauit Ia- Gen. 33.
cob fratrem Eſau, & Pharaonem uirum Ae- Gen. 47.
gyptium. Verum ſceptri faſtigium ſic adora-
uit, ut ei tamen latriæ cultum non tribueret.
Adorauit Ieſus filius Nauæ, & Daniel Ange- Ioſ. 5.
lum Dei, non tamen illi latriæ honorem præ- Dan. 1.
ſtiterunt. Aliud enim eſt latriæ cultum exhi-
bere, aliud honoris gratia in aliqua dignitate
conſtitutos uenerari. Cæterum, quando nobis
de imagine, deq; adoratione inſtitutus eſt ſer-
mo, age quid utraque ſit, inueſtigemus. Ima-
go igitur eſt ſimilitudo ſic exemplar expri-
mens, ut ab eo tamen aliqua re differat. Ne-
que enim imago in omnibus exemplaris eſt ſi-
milis. Ac uiua quidem, naturalis, & nulla re Col. 1.
diſsimilis imago Dei inuiſibilis eſt ipſe filius,
qui totum in ſe ipſo patrem gerit, & in omni-
bus idem cum illo eſt, præter unum id, ꝙ ab
eo, tanquam à cauſa eſt, Naturalis enim cauſa
eſt pater, ex qua filius proficiſcitur. Nõ enim
pater ex filio prouenit, ſed filius ex patre. Ab
ipſo enim, & ſi non poſt ipſum, habet, ut ſit
id, quod eſt ille ipſe, à quo genitus eſt, pater.
Sunt item in Deo imagines, & exempla re-
rum, quæ ab ipſo futuræ ſunt, nempe conſi-
lium eius æternum, quod ſe habet ſemper eo-
dem modo. Immutabilis enim eſt omnino Iac. 1.
Deus, in quo nulla eſt commutatio, aut uiciſ-
ſitudinis obumbratio. Has imagines & hæc
exempla præfinitiones appellat ſanctus ille Dei

munere diuinis in rebus, conſiderandis & explicandis excellentiſsimus Dionyſius: omnia enim ab illo præfinita, & ſine ulla commutatione futura, in eius conſilio non aliter, antequam fierent: erant expreſſe, quàm ſi quis uelit domum ædificare, prius imaginem ac formam ipſius in animo effingit, cogitationeq; complectitur. Imagines rurſum ſunt res, quas conſpicimus, earum rerum, quæ ſub aſpectum non cadunt, quæq; cum figuram non habeant, corporeis figuris exprimuntur, quo facilius cognoſcantur. Nam diuina ſcriptura Deo & Angelis figuras formaſq; tribuit, cuius rei cauſam affert Diuinus idem uir Dionyſius. Merito enim rerum, quæ forma figuraq; carent, formas & figuras eſſe propoſitas, habita imbecillitatis noſtræ ratione, qui niſi mediæ alicuius rei nobis propriæ & naturalis auxilio adiuti ad ea, quæ diuina ſunt, menteq; ſola conſtant, contemplanda, non poſſumus aſpirare. Quòd ſi diuina ſcriptura infirmitatis humanæ rationem habens, undique nobis congruentia ſubminiſtrat, & rebus ſimplicibus formaq; carentibus formas quaſdam attribuit, cur non eorum, quæ figuris ſunt informata, quorum deſiderio tenemur, & quia non adſunt, ea uidere non poſſumus, imagines ipſorum naturę conuenientes effingentur? per ſenſum enim imaginatio quædam, ut ita dicam, in primo cerebri uentriculo conſiſtit, atque ita ad eam par-

tem, quæ discernendi, ac iudicandi uim habet, admissa in memoriæ thesauris reponitur: Mēs enim, ut diuina præditus eloquentia Gregorius ait, licet multum laboret, ut res corporeas transiliat, non tamen potest omnino. Quin etiam inuisibilia dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Videmus enim in rebus Rom. 1. procreatis imagines rerum nobis diuinarum naturam indicantes, ut cum dicimus summam sanctæ Trinitatis excellentiam, per solem, & lucem, & radium: aut per fontem, & fluuium, & ostium: aut per mentem, & rationem, & spiritum, quæ in nobis sunt: aut per rosæ plantam, & florem, & odorem declarari. Ad hæc imago dicitur quæ per ænigmata adumbrat ea, quæ sunt euentura, ut per arcam, & uirgam, & urnam Sancta Dei genitrix uirgo: & per serpentem æneum is, qui morsum antiqui serpentis cruce destruxit: & baptismatis tum aqua per mare, tum spiritus per nubem significabatur. Rerum præterea gestarum imago dicitur, quæ ad rei alicuius admirandæ memoriam uel honoris, uel dedecoris, uel uirtutis, uel uitii notandi gratia propter spectantium utilitatē constituitur, quo mala uitemus, uirtutes autē complectamur. Hæc autem dupliciter fit, uel literarum monumentis, ut cum Deus legem tabulis inscripsit, uirorumq;, quos charos habuit, uitas conscribi mandauit: uel rebus sensibus expositis, ut cum urnam, & uirgam in arca ad rei

memoriam collocari iufsit. Sic etiam nunc rerum gestarũ imagines, uirtutesq; describimus. Quamobrem aut omne genus imaginũ tolle, & ei, qui illas fieri iufsit, aduersare, aut singulas pro ea ratione, quæ cuiq; conuenit, suscipe. Verum quia definitionem, & genera imaginum exposuimus, de adoratione uerba faciamus. Adoratio est summissionis & honoris nota, atque huius item duplex est ratio, altera enim est, quam Deo, qui natura solus adorãdus est, latriaq; dicitur: altera, quam propter ipsum Deum, qui natura solus adorandus est, exhibemus, uel amicis & seruis illius, ut cum Iesus filius Nauæ, & Daniel Angelum adorarunt: uel quibuslibet Dei locis, adorabimus, inquit
Psal.131. Dauid, in loco, ubi steterunt pedes eius: uel templis eius, ut omnis Israel tabernaculũ adorabat, & in circuitu templi, quod erat in Hierusalem stantes, aut undique ad ipsum respicientes adorant ad hunc usque diem: uel principi-
Gen.33. bus ab ipso constitutis, ut Iacob tum Esau fra-
Gen.46. trem natu maiorem, tum Pharaonem principem à Deo declaratũ adorauit, & Iosephum
Gen.32. fratres ipsius. Ad hæc mutui honoris gratia adorationem exhiberi non ignoramus, qualis
Gen.23. inter Abraham & filios Emmor intercefsit: Proinde aut aufer omne genus adorationis, aut omnes pro conueniente cuiq; ratione & modo suscipe. dic, obsecro, non'ne Deus unus est? Cõcedes, ni fallor. non'ne unus legislator? cur

igitur contraria præcipit? Neque enim Cherubim sunt extra rerum creatarum numerum. Cur ergo Cherubim hominum sculptis opera & manu adumbrari propitiatorium iubet? an, quia Dei utpotè incomprehensi, & nullam similitudinem habentis imago fieri non potest, ne cuipiam tanquam Deo latriæ cultus tribuatur? Cherubim autẽ, ut quæ circunscribuntur, & ad diuinum solium tanquam ministri assistunt, imaginem fieri iubet, quæ more seruorũ propitiatorium obumbret. Decebat enim cœlestium ministrorum imagine diuinorũ mysteriorum imaginem adumbrari. Quid arca, & urna, & propitiatorium non'ne hominũ opera & manu confecta sunt? Non'ne ex uili, ut ipse ais, materia constructa? Quid totum ipsum tabernaculum non'ne imago, & umbra, atque exemplum erat? Diuus quidem Apostolus legis sacerdotes cõmemorans, qui exemplari atque umbræ cœlestium deseruiunt, quemadmodum inquit, Mosi, cum tabernaculum esset ædificaturus, responsum est: Vide omnia facias secundum eam formã, quæ tibi in monte monstrata est. Quanquam ne imago quidem erat lex, sed imaginis adumbratio, umbram, ut idem Apostolus ait, habens futurorum bonorum, nõ ipsam rerum imaginem. Quare si lex, quæ fieri uetat imagines, prima ipsa imaginis effigies est, si tabernaculũ est umbra & figura figuræ, non'ne imagines effici iubet? Verum

Exo.25.
Heb.8.
Exo.25.
Heb.1.

hæc non ita se habent, nō profectò. Sed suum cuique rei tempus est. Itaque Deum olim ut corporis, figuræq; expertem imago nulla referebat. Nunc autē posteaquam Deus uisus est, & cum hominibus uersatus est, imaginē illius exprimo, quod uisum est Dei. Nō materiam, sed materiæ authorem adoro, qui propter me materia factus est, & in materia uoluit habitare, ut per materiam mihi salutem præberet. Materiam uerò, per quam salus mihi parta est, colere non desinam. Nō tamen ut Deum. Absit. Quomodo enim id, quod ortum ex nihilo consecutum est, Deus sit? Quanquam Dei corpus est Deus propter diuinitatis atque humanitatis in una persona coniunctionem, cum sine commutatione factum sit id, à quo unctum est, mansitq; quod erat natura, nempe caro animata anima ratione menteq; prædita, quæ tamen initium habuit, creataq; est. Reliquā uerò materiam per quā mihi salus parta est, ut actionis gratiæq; diuinæ plenam in honore, uenerationeq; habeo. Non'ne materia est felicissimū ac beatissimum illud crucis lignum? Non'ne materia mons ille uenerandus & sanctus? Ille caluariæ locus? Non'ne materia est alma & uitalis illa petra, sanctum illud monumentum? Fons ille nostræ Resurrectionis? Non'ne materia sunt, nigræ illæ literarum notæ, & sanctissimi Euangeliorum libri? Non'ne materia est, augusta illa mensa, quæ nobis uitæ panem sub-

ministrat? Non'ne materia est aurum & argentum, Ex quibus cruces,& tabulæ cõficiuntur, & pocula? Non'ne denique domini nostri corpus & sanguis materia sunt. Aut igitur horum omnium uenerationẽ,cultumq; tolle,aut concede,ut Dei,& eorum, qui Deo chari amiciq; sunt, imagines colantur. Noli Manichæorum opinionem secutus materiam despicere, & tanquã uilem aspernari. Nihil enim uile,aut abiectum putandum est, quod Deum habet authorem. Illud duntaxat uile putari debet,ac despici, quod non à Deo, sed à nobis inuentoribus libera uoluntatis propensione & motu ex eo, quod secundum naturam est, in id, quod est præter naturam,declinat. Hoc autẽ nihil aliud est,nisi peccatum. Si propter legis pręscriptum imagines negligis, & ꝙ ex materia constent, abiiciẽdas existimas, audi, quid dicat scriptura: Et locutus est Dominus, dicens: Vocaui ex nomine Beseleel filium Hur de tribu Iuda, & impleui eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandum quicquid fabricari,& fieri potest ex auro, & argento, & ære, & hyacintho, & purpura, & coccino filato,byssoq; retorta, & marmore, & gemmis,atque diuersitate lignorum. Et ego dedi ei socium Eliab filium Achisamach de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi ego posui prudentiam,ut faciant cuncta, quæ præcepi tibi. Rursumq; Moses omnem congre- Exo. 31.

Exo. 35. gationem filiorum Israel sic allocutus est: Audite hoc uerbum, quod præcepit Dominus dicens: Separate apud uos primitias Domino. Omnis uoluntarius, & prono animo offerat eas Domino: Aurum, & argentũ, & æs: Hyacinthum, & purpuram, coccumq; bis tinctum, & byssum retortam: pilos caprarum, pellesq; arietum rubricatas, & hyantinas, & ligna imputribilia: & oleum unctionis, & thymiama compositionis: & lapides sardios, & lapides in sculpturam ad superhumerale, & tunicã talarem. Quisquis uestrum corde sapiens est, ueniat, & faciat, quæ Dominus imperauit, arcam, & quæ sequuntur: Ex quibus facile colligi potest, materiam, quæ à uobis ut uilis despicitur, in pretio atque honore esse. Quid enim pilis caprarum, aut coloribus uilius? Nisi forte coccinum, & purpura, & hyacinthus color nõ est. Ecce tibi opera manuum hominum, & Cherubim similitudo. Cur igitur per legem uis abrogari, quæ lex ipsa præscribit? Si propter legem imagines tollendas censes, eodem tempore potes & sabbatum obseruare, & circuncidi. At illud scito, si legem obseruatis, Christus uobis nihil proderit. Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis,
Gal. 5. Non uidit Deum antiquus ille Israel. Nos autẽ reuelata facie gloriam domini contemplati sumus, & sensibus expositam ipsius formã ubiq; proponimus, primumq; sensuum ei consecramus. Inter sensus enim uisus primas obtinet,

quemadmodum & sermonibus dicamus auditum. Nam imagines sunt monimenta quędam. Idem enim illiteratis hominibus sunt, quod literatis libri. Et quod auribus oratio est, idem est oculis imago. Cui tamen imagini intelligentia coniungimur. Iccircò iussit Deus, ut arca fieret è lignis, quæ non corrumpuntur, intusq; & extra inauraretur, atque in ea ponerentur tabulæ, & uirga, & urna, in qua manna ad rerũ gestarum, futurarumq; memoriam cõtinebatur. Hæc autem quis imagines esse, & præcones clarissimos negabit? Neque uerò ex lateribus tabernaculi, sed in conspectu totius populi iacebant. Hæc qui spectabant, Deum, qui per illas agebat, adorationis, latriæq; cultu uenerabantur. Neque enim cultũ hunc ipsis exhibebant, sed per ea in memoriam rerum admirabilium, & authoris earum Dei, quem adorarent, reuocabantur. Nam commonitionis gratia propositæ erant imagines, non tanquam Dii, sed tanquam diuinarum actionum admonitrices. Et iussit Deus, ut duodecim lapides è Iordane sumerentur, causaq; statim subiicitur: Cum filius Iof. 4. tuus ex te, inquit, quæsierit, quid sibi uelint lapides isti, narra illi, quomodo Iordanis aqua Dei præcepto defecerit, & arca Domini transierit, cunctusq; populus. Cur non igitur nos cruciatuum, mortisq; salutiferæ, & rerum à Christo gestarum imagines effingemus, ut cũ è nobis quæsierint filii nostri, quid hæ signifi-

cent, respōdeamus, Deum uerbum hominem esse factum, Et per ipsum nonmodò Israelem Iordanem transisse, sed omnē naturam humanam ad pristinum felicitatis statum reuertisse, quippe quæ per illum ex profundissimo terrę gradu supra omnem principatum constituta in ipso paterno solio consedit. At, enim, inquiunt, satis sit tibi, Christi, aut Matris eius imaginem fecisse. ò hominum absurditas. Non'ne animaduertitis, uos planè sanctorum inimicos confiteri? Nam si Christi imaginē admittentes sanctorum imagines repudiatis, constat, uos non tam illorum imaginibus, quā honoribus aduersari, Quippe qui Christi tanquam honorati imaginem facitis, Sanctorum autem ut uilium & abiectorum effigies respuitis, & ueritatem ipsam mendacē appellatis. Viuo enim
1. Reg. 2. ego, dicit Dominus, Eos qui me honorant,
Gal. 4. honorabo. Et diuinus Apostolus, Quare non amplius, inquit, es seruus, sed filius, si autem filius, & hæres Dei per Christum. Et siquidem
Rom. 9. compatimur, ut simul etiam glorificemur. Nō aduersus imagines, sed aduersus sanctos bellum suscepisti. Ei nanq;, ut rerum diuinarum
1. Io. 2. peritissimus & scientissimus Ioānes ait, similes erimus. Vt ea, quæ ignescunt, non natura, sed coniunctione, & ardoris communione fiunt ignis, sic filii Dei naturam humanam induti carnem aio naturæ diuinæ per personam participem factam euasisse Deum, nec tamen naturā

propriā amisisse, nec actione aliqua Dei fuisse inunctam, ut singulos Prophetarum, sed totius ungentis præsentia. Quòd autem, & sancti sint Dei, Deus, inquit, stetit in cætu Deorum. Stat *Psal. 81.*
autem Deus in medio Deorū honores distribuens, ut D. Gregorius interpretatur. Sancti enim & dum uiuerent, repleti erant spiritu sancto, & posteaquā decesserunt, gratia sancti spiritus semper inest eorum animis atque corporibus in sepulchris, & signis, & imaginibus, nō per essentiam, sed per gratiam, & actionē. Iam quod Dauidi promisit Deus, ut sibi templum *2. Reg. 7.*
per filium suum ædificaret, & domum quietis construeret, id templum Solomon cum constitueret, Cherubim fecit, ut libri Regū testantur, & Cherubim auro circumliniuit, & omnes parietes per circuitum, & Cherubim sculpsit, & palmas intus, ac foris, Neque uerò dixit ex lateribus, sed per circuitum; & boues, & leones, & mala punica. Quæ cū ita sint, non'ne multo magis est honorificum, animalium ratione carentium, atque arborū loco, sanctorum figuris & imaginibus omnes domus domini parietes exornare? Iubet lex quodam loco, ne feceris, inquiens, omnem similitudinem. Attamen Solomon qui sapientiam diuinitus infusam accepit, cœlum exprimens, fecit Cherubim, & leonum, atq; boum similitudines, quod lege prohibetur. Quare non'ne magis ad pietatem pertinet id, quod nos agimus, ut Christi, & sancto-

Mirabilis Deus in sanctis suis Ps. 67. ... Si imagini ... non natura ... sed per gratiam et actionem ...

rum eius imagines, quæ spiritu sancto repletæ sunt, effingamus? Quemadmodum enim tunc & populus & templum sanguine & cinere uitulæ expiabatur, ita nunc sanguine Christi, qui testimonium reddidit coram Pontio Pilato, seq; primitias Martyrū declarauit, & sanguine sanctorum, in quibus Ecclesia construitur. Ac tunc quidem formis & notis animalium rationis expertium Dei tēplum exornabatur, nunc autem decoratur signis & imaginibus sanctorum, qui seipsos templa uiua, rationeq; prædita Deo ad habitandum præstiterunt. Christū igitur Regem & dominum sic effingamus, ut proprio ipsum exercitu ne spoliemus. Nam domini exercitus sancti sunt. Spoliet se ipsum exercitu suo terrenus Imperator, & tunc spoliet Regem ac dominum suum. Deponat purpuram, & tunc eorum, qui aduersus tyrannum optime atque regie sese gesserunt, pietatem amputet. Etenim si hæredes Dei, & cohæredes Christi, & diuinę glorię, atque regni participes erunt ii, qui calamitatum ipsius participes extiterunt, cur nō & gloriæ participes in terris sint amici Christi? Non dico uos seruos, inquit Deus, sed amicos. Vos amici mei estis. Amicos igitur Dei honore ipsis ab Ecclesia tributo spoliabimus? ô manum audacem. ô temerariam mentem pugnantem cum Deo, & iussis eius aduersantem. Tu, qui imagines coli negas oportere, ne Dei quidem filium colueris, qui

Dei inuisibilis est imago uiuens, & forma incõmutabilis. Ego Christi ut Dei carnem humanam induti imaginem colo. Dei genitricis omnium dominę ut matris filii Dei imaginem colo. Sanctorum Martyrum, ut amicorum Dei, qui peccato ad sanguinem usque restiterunt, quiq; sanguinem ad Christi gloriam effundentes imitati sunt eum, qui prius propter ipsos proprium sanguinem profuderat, imagines colo. Eorum denique colo imagines, qui Christi uestigia sequentes uitam suam instituerunt. Horũ facta præclara, cruciatusq; pictura expressos oculis meis propono, ut eo pacto sanctus efficiar, & ad imitationis studium incendar. Nam honor, qui habetur imagini, ut ait D. Basilius, ad eum peruenit, cuius imago est. Si templa construis sanctis Dei, eorum etiam trophæa constitue. Nõ ædificabantur olim hominibus templa, nec iustorum mors lætitia & gaudio, sed mœrore & lacrymis celebrabatur. Et qui mortuum attigerat, habebatur immundus, etiam si Mosem ipsum attigisset. Nunc autem sanctorum monumenta populi concursu celebrantur. Cũ luctu & lacrymis Iacob mortuus, elatus, sepultusq; fuit. At nos Stephani mortem cum lætitia celebramus. Quapropter aut solennes ad memoriam & laudem sanctorum celebritates contra legis antiquæ morem institutas tolle, aut imagines eorũ, quas contra legis præscriptum tu fieri asseris, admitte. At

Num. 19.

Gen. 50.

eiuſmodi celebritates ſanctorum tolli nõ poſſunt, cum ſanctus Apoſtolorum & diuinorum patrum chorus eas fieri iubeat. Ex quo enim Deus verbum caro factus eſt, nobisq́; ſimilis, præter peccatũ, in omnibus eſſe uoluit, & ſine confuſione cum carne noſtra coniunctus eſt, & carnem ſine immutatione diuinam reddidit, mutua, minimeq́; confuſa tum diuinitatis eius in carnem, tum carnis in Deum conceſsione, uerè ſancti ſumus effecti. Et ex quo Dei filius, atque idem Deus, qui diuinitate cruciatus, mortemq́; ſubire nequit, humanitate aſſumpta cruciatus, mortemq́; pertulit, & æs alienum à nobis contractum ipſe diſſoluit, idoneum & admirabile pretium præbens, admirabilis enim & uenerandus eſt patri ſanguis filii ſui, uerè liberati ſumus. Et ex quo deſcendens ad inferos animis à ſeculo uinctis ut captiuis libertatem, & cæcis uiſum prædicauit, præſtantiq́; uirtute ſua fortem deuinciens, reſurrexit, humanitatẽ aſſumptam incorruptam reddens, uerè facti ſumus immortales. Et ex quo per aquam & ſpiritum geniti ſumus, uerè facti ſumus filii hæredesq́; Dei. Iam inde ab eo tẽpore Chriſtianos
Eph.5. homines Paulus ſanctos uocat. Ex eo tẽpore non luctu, ſed gaudio ſanctorum mortem proſequimur, Ex eo tempore non amplius ſub
Rom.6. lege, ſed ſub gratia ſumus, iuſtificati per fidem,
1.Tim.1. & Deum ſolum uerũ agnoſcentes. Porrò lex iuſto non eſt poſita. Non ſub elementis legis

ut infantes in seruitute sumus, sed in hominem perfectum redacti solido cibo, non eo, quo ad Idolorum cultum ducamur, enutrimur. Præclara lex est, atque lucernæ instar in loco tenebroso fulgentis, sed quoad dies illuxerit. Iam autem lucifer exortus est in cordibus nostris, & aqua cognitionis uiua mare gẽtium operuit, & omnes dominũ cognouimus. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Itaque D. Apostolus Paulus ad Petrum Apostolorum principẽ, si tu, inquit, iudæus cum sis, gentiliter uiuis, & non iudaicè, quomodo gentes cogis iudæizare? Et ad Galatas scribit ad hunc modũ: Testificor omni homini circuncidenti se, ꝙ debitor est totius legis implendæ. Olim igitur Deum ignorantes iis, qui natura dii non sunt, inseruiebant. Nunc autem cum Deum cognoscamus, immò uero cogniti simus â Deo, quomodo rursum ad infirma, atque egena elementa conuertemur? Dei speciem humanam uidi, & salua facta est anima mea. Contemplor imaginem Dei, quemadmodũ eam uidit ipse Iacob, sed alio, atque alio modo. Nã ille mentis oculis à materia remotis Dei uidit imaginem, id, quod futurum erat, indicantem: Ego uero contemplor imaginem Dei in carne conspecti mihi rei transactæ memoriam renouantem. Apostolorum umbra semicinctiaq; curabant morbos, Dæmones expellebant. Cur igitur in honore nõ sit, & colatur umbra, atque imago

2. Pet. 1

Gal. 2.

Gal. 5.

Gen. 32.

ſanctorũ? Aut nihil, quod ex materia conſtet, colendum & adorandum exiſtima, aut rerum nouarum inuentor ne ſis, ne'ue terminos æternos moueas, quos poſuerunt patres tui, qui ritus eccleſiaſticos non literis ſolum, uerũ etiam inſtitutis non ſcriptis tradiderunt. Sic enim ad uerbum ait D. Baſilius in uigeſimo ſeptimo capite illius libri, quem de ſpiritu ſancto triginta diſtinctum capitibus ad Amphilochum ſcribit: Quæ in Eccleſia ſeruantur & prędicantur inſtituta, partim ex ſcripta conſtant doctrina, partim Apoſtolorum traditione data nobis in myſterio ſuſcepimus. Et utraque quidẽ eandem ad pietatem uim obtineat. Nec quiſquam, iis, qui uel mediocriter in Eccleſiæ iure uerſatus ſit, contradixerit. Si enim quæ ſcripta non ſunt, ſed moribus tantum & conſuetudine continentur, tanquã magni momenti non ſint, reiicere aggrediamur, imprudenter ipſis Euangelii partibus præcipuis damnum afferemus. Hactenus Baſilius. Vnde enim nobis notus caluariæ locus? Vnde ſepulchrum uitæ? Non'ne quia parentes filios ea non ſcriptis, ſed uoce ſingulis ætatibus docuerunt? Nam ꝙ in caluariæ loco crucifixus ſit dominus, & in monumento ſepultus, quod in petra Ioſeph exciderat, ſcriptum eſt. Quôd autem hæc, quę nunc colimus, illa ſint, ſermone non ſcripto, ſed per manus tradito accepimus. Vnde niſi ex perpetua eiuſmodi conſuetudine didicimus, ut ter eos, qui baptizantur,

baptizantur, aqua mergamus? Vt ad orientem conuersi precemur? Vt mysteriorũ instituta retineamus? Ex quo diuus etiam Apostolus Paulus state, inquit, & seruate traditiones, quas edocti estis, siue per sermonẽ, siue per Epistolam nostram. Proinde cũ tam multa magnaq; sint, quę in Ecclesia sine scripto per manus tradita ad hoc usq; tempus obseruantur, cur tam anxie imaginum cultum insectaris? Quanquã argumenta tua non tam imaginũ cultum detestantur, q̃ gentes, quæ Deos imagines putant. Quamobrem nõ propterea quod imaginibus gentes abutantur, pius noster earum usus tollendus est. Adiurant incantatores & uenefici, adiurat item Ecclesia illos, qui initiantur. Sed ipsi dæmones inuocant, Ecclesia uero contra dæmones Deum. Gentes dæmonibus sacrant imagines, easq; nuncupant Deos. Nos autem uero Deo, Deiq; seruis & amicis cateruas dæmonum expellentibus. Quòd si dixeris, uirum admirabilem Epiphanium aperte imagines improbasse, primum id esse falsum & fictum respondebimus, eiq; ut a multis fieri consueuit, orationem ab alio compositam fuisse attributam. Deinde, ut Epiphanii eam orationem esse concedamus, quemadmodum scimus beatum Athanasium Sanctorum reliquias non in urnis collocandas, sed humi condendas eo consilio censuisse, ut absurdum Aegyptiorum morem abrogaret, qui mortuos suos nõ sub terra con-

1. Thess. 2.

debant, sed in lectulis & scimpodiis collocabãt sic etiã fortasse Magnum Epiphaniũ, ut quippiam eiusmodi recte constitueret, imagines nõ esse faciendas censuisse. Nam quod ei propositum non fuerit, ut illas abrogaret, diuini ipsius Epiphanii testatur ecclesia, ad hoc usq; tẽpus imaginibus exornata. Postremo quod à paucis raroq; fit, non est in Ecclesia tanquam lex obseruandum. Neq; una hirundo, ut Gregorio etiam illi Theologo placet, & ueritas ipsa confirmat, facit uer. Neque unius oratio tanti ponderis est, ut totius Ecclesiæ ab ortu ad occasum solis propagatę morem & instituta possit euertere. Præclarorum igitur & spiritalium
Psal. 113. institutorum multitudinem suscipe; Quamuis enim scriptura gentium simulacra argentum, & aurum appellet opera manuum hominum, non tamen res inanimatas, manuq; confectas, sed dæmonũ imagines coli uetat. Nam q Angelos, & homines, & Reges etiam impios, & uirgam adorauerint prophetæ, dictum est. Da-
Psal. 98. uid autem, & adorate, inquit, scabellum pedum
Esa. 66. eius: Esaias uero, Ex persona Dei, cœlum, inquit, mihi sedes est. Terra autẽ scabellum pedum meorum. Porrò cęlum & terram esse res procreatas nemini sanè dubium est. Quid? q Moses & Aaron res manufactas adorarunt? Nam aurea quidem illa Ecclesiæ tuba Paulus
Hebr. 9. in Epistola, quam ad Hebræos scripsit, Christus, inquit, existens Pontifex futurorum bo-

norum per maius & perfectius tabernaculum non manufactum, hoc est, nõ huius creationis. Et rursum, nõ enim, inquit, in manufacta Christus ingressus est sancta, exemplaria uerorum, sed in ipsum cœlum. Priora igitur sancta & tabernaculum, & quæcunque in eo continebantur manufacta erant. Quòd autem adorarētur, nullus negabit. Sãctus enim Dionysius in epistola, quam ad Titum scribit, Proinde inquit nos etiam oportet deposita uulgari de ipsis opinione intra sacra signa congruentem rebus sacris cogitationem suscipere, nec ea, quæ sunt diuinarum formarum notæ, atque exempla, & perspicue arcanorum naturamq; superantium spectaculorum imagines contemnere. Nota, quomodo rerum præstantium imagines dixerit, non esse contemnendas. Idem in libro de diuinis nominibus loquitur ad hunc modum: Hac ratione nos item instituimur, cum in præsentia ratione nobis conuenienti per sacra uela rerum diuinarum & sacrarũ humanitas rebus sub sensum cadẽtibus ea, quæ intelligentia tantum perspiciuntur, & iis, quæ sunt, ea, quæ essentiam superant, tegat, formasq; & figuras rebus forma figuraq; carentibus tribuat, & simplicitatem illam natura superiorẽ singularium notarum uarietate impleat & effingat. (Commentarium.) Si humanitatis est, rebus figura, formaq; carentibus, atque simplicibus figuras formasq; ratione nobis congruente tribuere,

cur non ea, quæ formis & figuris prædita sunt modo nobis congruo imaginibus exprimemus, ut memoria in nobis excitetur, & ex eo motu ad imitandũ adducamur? Idem in libro de Ecclesiastica Hierarchia, Verum essentiæ, inquit, atque ordines illi nobis præstantiores, de quibus sacram fecimus mentionem, & corpore uacant, & sacer ipsorũ principatus, quantum ad eos spectat, sola mente percipitur, & mundo superior est; quantum autem ad nos pertinet, uidemus eum ratione nobis cõgruente, signorum, quæ sub sensum cadunt, uarietate plenum, Ex quibus sacro quidem modo ad diuinitatis coniunctionem pro ratione nobis conueniente deducimur. Ac Deum sanè diuinamq́; uirtutem intelligentiæ, quemadmodum illis fas est, intelligunt, nos autẽ imaginibus sensum mouentibus ad diuinas contemplationes, quoad fieri potest, prouehimur. (Commentarium.) Quòd si pro ratione nobis cõgruente imaginibus sensum mouẽtibus ad diuinam, & à materia remotam contemplationem perducimur, diuinaq́; prouidentia pro sua in nos benignitate rebus figura formaq́; carentibus figuras & formas accommodat, ut ad eas percipiendas facilius prouehamur, cur absurdum sit, eum, qui pro sua erga nos benignitate sese figuræ formæq́; subiicit, imagine effingere pro ratione nobis conueniente? Sermone superioribus tẽporibus per manus tradito, qui ad nos

usq; peruenit, constat, Angarum illum Edesæ Regem auditis iis, quæ de domino ferebantur, diuino amore inflammatum legatos ad eum misisse, qui rogarent, ut se illi præsentem conspiciendum exhiberet, iussisseq;, ut si id impetrare nõ possent, effigiem eius pictura expressam reportarent. Quòd cũ sciret is, qui omnia nouit, & omnia potest, linteolum sumpsisse, in eoq; ad os suum admoto propriam imaginem expressisse. Quod quidẽ linteolum ad hoc usq; tempus asseruatur. At sanctus Basilius in oratione, qua beatũ martyrem Barlaam laudauit, cuius initium est: Antea quidem sanctorum mors, Exurgite, inquit, nunc mihi præclari athleticorum facinorum pictores. Cõminutam Imperatoris imaginem artificio uestro extollite. Coronatum uictorem obscurius à me depictum uestris coloribus illustrate. Discedo strenue Martyris factorum pictura à uobis superatus. Hodie facultate uestra me uictum gaudeo. Manum cum igne pugnantem accuratius à uobis expressam intueor, ornatius in uestra pictura pugilem descriptum uideo. Plorent nunc etiam dæmones strenuis Martyris factis à uobis expressis uerberati. Ardens rursum illis manus, & uincens ostendatur. Exprimatur etiam in tabula præfectus certaminum Christus, cui gloria in secula seculorum Amẽ. Idem in triginta capitum ad Amphilochum de spiritu sancto capite decimo octauo ita scri-

bit: Quoniam Regis etiam imago Rex dicitur, & non duo Reges. Neq; enim imperium scinditur, neque diuiditur gloria. Quemadmodum enim principatus, & potestas, quæ nobis imperat, una est, sic etiam honor, quem nos præstamus, unus est, non multi. Nam honor imagini habitus ad exemplar transit. Itaque quod imitationis ratione hic est imago, illic naturaliter est filius. Et quemadmodum in rebus, quæ arte constant, in ipsa forma sita est similitudo, sic in diuina incompositaq; natura in diuinitatis communitate est copulatio. (Commentarium.) Si Regis imago Rex est, & imago Christi Christus est, & imago sancti sanctus est. Et neque secatur imperium, neque gloria scinditur, sed qui habetur honor imagini, fit honor illius, quem refert imago. Sanctos formidant ipsi dæmones, & umbram eorũ fugiunt. At imago item est umbra, quam nos ut dæmonum expultricem facimus. Quòd si dixeris, mente atque intelligentia tantum Deo coniungi nos oportere, res omnes corporeas tolle, luminũ splendorem, thuris suauitatẽ, preces, quas uoce proferimus, Mysteria ipsa diuina, quæ conficiuntur ex materia, panem, uinum, unctionis oleũ, crucis signũ. Hæc enim omnia ex materia constant, sicut etiam spongia Christo cruci affixo adhibita, & arundo, & lancea, quæ latus illud, ex quo uita profecta est, perforauit. Aut horũ omnium uenerationem adime, quod fieri ne-

quit, aut ne imaginum quidem honorem reſpue. Gratia diuina præbetur rebus ex materia conſtantibus, quoniam eorum, quos referunt, nomen retinent. Quemadmodum purpura, & ſericum, & quod ex his ueſtimentum conficitur, per ſe nihil aliud ſunt, niſi tenue quoddam operimentum, quod tamen ſi Rex induerit, honoris, quo præſtat Rex, ipſum quoque particeps fit. Ita res ex materia conſtantes per ſe quidem adorandę non ſunt. At ſi gratia plenus ſit is, quẽ illæ referũt, pro fidei portione ipſæ quoque gratiæ participes fiunt. Apoſtoli dominum corporeis oculis conſpexerunt. Apoſtolos alii ſunt conſpicati. Martyres uiderunt alii. Ego quoque deſidero hos animo corporeq; conſpicere, & medicamẽtum habere, quo deſiderium meum expleatur, quandoquidem duplex creatus ſum, & uidens ueneror id, quod uidetur, non ut Deum, ſed ut rei uenerandæ uenerabile ſimulacrum. Tu quidem forte ſublimior es, à materiaq; remotior, & ſupra corpus incedens, & carne quodammodo carens deſpicis quicquid ſub aſpectũ cadit. Ego uero, ut qui homo ſim, corporeq; circundatus, cupio cum iis, quæ ſancta ſunt, corpore uerſari, eaq; oculis contueri. Tu qui ſublimis es, ſummiſsius te gerẽs ignoſce mei ſenſus humilitati, ut ſublimitatem tuã conſerues. Dominus deſiderium meum erga ſe, atq; amicos ſuos complectitur & charum habet. Gaudet enim domi-

nus,cum gratum uidet seruum laudibus affici, quemadmodum ait Basilius in ea oratione,qua Martyres quadraginta collaudat. Vide autem quid etiam celebrem illum Gordium laudans idem dicat. Lætantur,inquit,populi lætitia spiritali ex sola cõmemoratione rerum,quæ recte à uiris iustis gestæ sunt, audientesq; ad earum æmulationem atque imitationem incitantur. Nam eorũ, qui ex uirtute uitam instituerunt, historia tanquam lucem quandam iis, qui seruantur, in uia uitæ subministrat. Et rursum, Quapropter,inquit,quando uitam eorum, qui pietatem coluerunt,explicamus,primum quidem dominum in seruis honoramus. Deinde iustos laudibus efferimus earum rerum testimonio,quas cognitas habemus. Postremo rerum honestarum cõmemoratione populis lætitiam afferimus: (Commentarium.) Vide, quomodo in sanctorum memoria tum Dei gloria,tum ipsorum laus, tum populorum lætitia salusq; consistat. Cur igitur hanc auferre conaris? Quod autem per orationem & imagines commemoratio sanctorum fiat,audi eundem D. Basilium in eadem oratione ita disserentem: Quemadmodum enim ignem sponte sequitur splendor, & unguentum bonus odor, ita recte facta necessario sequitur utilitas. At qui ne id quidem parum est,ueritatem eorum, quæ tunc gesta sunt,plane consequi. Obscura enim quædam memoria ad nos peruenit, præ-

clara in certaminibus facinora uiri conseruans: Idemq; nobis quodãmodo, quod pictoribus uidetur accidere. Etenim illi cum ex imaginibus imagines desumant, plurimum, ut par est, à ueris exemplaribus deficiunt: Et nos cum rerum ipsarum spectaculum non inspexerimus, non paruum periculum est, ne ueritatem imminuamus. In extrema autem eiusdem orationis parte, sicut enim, inquit, solem, cum semper eum aspiciamus, semper admiramur, ita uiri illius memoriam semper recentem retinemus, semper nimirum in sermonibus & imaginibus eum intuentes. In oratione uero, qua nobiles quadraginta Martyres laudauit, Quaenam, inquit, memoriae Martyrum celebrandae satietas esse queat illi, qui Martyres studio beneuolentiaq; prosequitur? Honor enim, qui bonis conseruis habetur, indicium amoris est erga communem dominum. Et rursum, Ingenue, inquit, eos lauda, qui Martyrium pertulerunt, ut uoluntate sis martyr, discedasq; sine persecutione, sine igne, sine uerberibus eisdem, quibus illi, laudibus dignus. (Cõmentarium.) Cur igitur me reuocas ab honore sanctorum? cur mihi salutem inuides? Quod autem formã coloribus expressam, sermonibus affinem existimet, audi eum paulo post loquentem ad hunc modum: Age igitur ipsos in medium adducentes, & memoriam eorum celebrantes communem ex ipsis utilitatem audientibus af-

feramus, ſtrenua uirorum facta tanquam in tabella omnium oculis ſubiicientes. (Cōmentarium.) Cernis, quomodo ſit idem imaginis, & orationis officium? Tanquā enim in tabella, inquit, omnium oculis proponentes fortia uirorum facta uerbis expreſſa. Eodemq; loco ſtatim hæc ſubiicit. Quæ enim in bello fortiter geſta ſunt, ea ſæpenumero tum oratores, tum pictores explicant, illi quidem ea uerbis exornantes, hi uero coloribus exprimētes, qua quidem ratione multos utrique ad uirtutem incitant. Quæ enim hiſtoriæ ſermo auribus proponit, ea pictura tacens per imitationem oculis oſtendit. (Commentarium.) Quibus uerbis clarius demonſtrari poteſt, imagines apud homines illiteratos ac rudes eſſe ueluti libros, & ſanctorum honoris eſſe minime mutos buccinatores, quippe quæ tacita quadam uoce doceant, aſpectumq; ſanctū reddant. Ego, cui nec ſuppetit librorum copia, nec legendi ſpatium, quiq; rationum & argumentorum aculeis tanquam ſpinis enecari me ſentio, in communem animorum medicamenta continentem officinam, hoc eſt, Eccleſiam ingredior. Ad ſpectandum me alliciunt picturæ flores, quæ tanquam in prato oculos meos oblectant, ſenſimq; inſtillant animo gloriam Dei. Contemplor fortitudinem Martyris, coronarum præmia conſidero, & tanquā igne incendor æmulandi cupiditate, atque proſtratus & ſupplex per Marty-

rem Deum adoro, salutemq; percipio. Quid? non audisti eundem diuinum patrem, qui in ea oratione, quam in Psalmorum initium scripsit, spiritus sanctus, inquit, sciens hominum generi difficile posse quicquam persuaderi, & laborē ingratū esse, concentus & armoniæ suauitatem psalmis immiscuit. Quid ais? Nō depingam ego & uerbis & coloribus Martyria sanctorum? Eaq; & Angelis & rebus omnibus procreatis admiranda, Diabolo autem, ut idem Ecclesiæ splendor Basilius ait, acerba, & dæmonibus formidolosa, non & oculis, & labris prosequar? sed audi, quid in extrema parte laudationis quadraginta Martyrum dicat: O chore sancte. O cætus sacer. O agmen inuictum. O communes generis hominum custodes. O boni curarum socii. O precum adiutores. O legati potentissimi, orbis terrarū stellæ. Flores Ecclesiarum, flores, inquam ego, animis, sensibusq; iucundi. Vos non condidit terra, sed cœlum suscepit. Vobis Paradisi fores patuerunt dignum præbentibus spectaculum Angelis, dignum Patriarchis, Prophetis, iustis. Quod igitur Angeli cupiunt intueri, id ego cernere non concupiscam? His Basilii uerbis consentiunt ea, quæ frater eius, atque idem sentiens Gregorius ille Nyssensium Pontifex ait in capite quarto illius libri, quem ipse conscripsit de opificio Dei. Quemadmodum, inquit, homines, qui Imperatorum imagines fingunt, non solum formæ

notam exprimere cõſueuerunt,ſed etiam purpuræ ueſtimentum adiicere, quo Regia dignitas indicatur,mos autem eſt, ut opus eiuſmodi tum imago,tum Rex appelletur, ſic etiam humana natura,cum eo conſilio procrearetur,ut aliis rebus imperaret,tanquã animata quædam imago conſtituta eſt,& dignitatis, quam habet exemplar,nomen obtinuit.Idem in quinto capite eiuſdem libri, diuina, inquit, pulchritudo non figura aliqua, aut formæ concinnitate per ullam coloris elegantiam illuſtratur, ſed in beatitudine ſecundum uirtutem,quę explicari non poteſt,conſpicitur. At hominum formas pictores coloribus quibuſdam in tabulis exprimũt, Eo nanque ſtudio colores proprios adhibent, atque commiſcent, ut pictura exemplaris pulchritudinem repræſentet: Vide non figura aliqua aut formæ præſtantia nec ulla coloris elegantia diuinam pulchritudinem illuſtrari, atq; ideo non poſſe illius imaginem exprimi. Humanam autem formam in tabella coloribus
Philip.2. effingi. Quamobrem cum dei filius in hominis forma factus ſit, ſerui formam accipiens, & in ſimilitudine hominũ factus, & in figura inuentus ut homo,cur non eius imago fiet? Et ſi mos eſt,ut Regis imago,Rex appelletur, & honor, qui habetur imagini,ad eũ tranſit,cuius imago eſt, ut inquit D. Baſilius, cur non coletur, & adorabitur imago,non tanquam Deus,ſed tanquam imago Dei,qui carnẽ induit humanam?

Idem in oratione, quam Constantinopoli de filii,& spiritus diuinitate habuit, quaq; Abrahã laudauit, Hinc,inquit,prius uinculis alligatum assumit filium pater.Huius ego acerbæ rei spectaculum sæpe pictura expressum uidi,nec sine lacrymis illud præteriui, cũ ars perspicue rem gestam oculis subiiceret. Isaac genibus flexis, manibusq; post tergum reuinctis iacet ante ipsum altare. Pater uero post filii poplites accedens, sinistraq; manu comam illius apprehensam ad se trahens incumbit filii capiti miserabiliter ad Patrem respicientis, Dexteram autẽ gladio armatam ad cædem dirigit. Iamq; gladii acies corpus attingit,cum uox diuinitus prohibens exauditur. Sanctus autem Ioannes Chrysostomus in explicatione Epistolæ ad Hebræos. Et secundi quodãmodo imago,inquit, est primus,nempe Christi Melchisedech, non aliter,ac si quis ante adumbratam à pictore delineationem, umbram ipsius picturæ, quæ in corpore est,uocet. Iccirco enim umbra lex dicitur,& gratia ueritas,res autem ea, quæ futura sunt. Quare lex quidem & Melchisedech, est adumbratio picturæ coloribus expressæ, Gratia autem & ueritas pictura consistens in corpore. Res uero ea,quæ futuro seculo sunt euentura: Vt antiqua lex sit figura figuræ, noua autem figura rerum. At Leontius Neapolis,quæ in Cypro est,pontifex in oratione,quã aduersus Iudæos habuit,de Christi cruce, deq; San-

ctorum imaginibus adorandis, & de Sanctorũ simul reliquiis uerba faciens, Quòd si mihi uitio, inquit, uerteris, Iudææ, ꝙ crucis lignum adorem tanquam Deum, cur non eadem ratione Iacob in crimen uocas, ꝙ uirgæ fastigium ado-
Gen.48. rauerit. At qui perspicuum est, eũ honore illo nõ lignum, sed Ioseph adorauisse, quemadmodum nos item per crucem Christum, non autẽ lignum ueneramur. Quare si crucis figuram adoramus, eius imaginem ex qualibet materia conficientes, cur Crucifixi imaginem non adoremus? Idemq; rursum Leontius, Quando, in-
Gen.23. quit, & Abraham uendentes sibi sepulchrum, licet homines impios adorauit, genuq; flexit in terram. Verum illos non adorauit ut Deos.
Gen. 47. Itemq; Iacob benedixit Pharaoni, quãuis esset impius, simulachrorumq; cultor, non tamen ei benedixit, ut Deo, Esau quoq, fratrem ado-
Gen. 33. rauit, sed non uti Deum. Præterea quomodo nobis præcipit Deus, ut adoremus terram, &
Psal. 108. montes. Nam exaltate, inquit, dominum Deũ uestrũ, & adorate in monte sancto eius, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum
Esa.66. est, Porro scabellum eius est terra. Cœlũ enim, inquit, mihi sedes est, terra autẽ scabellum pedum meorum, dicit dominus. Quid Moses?
Exo.18. non'ne adorauit Iothor simulachrorum cultorem? Et Daniel Nabuchodonosor? Quæ cum ita sint, cur mihi succenses, ꝙ colam & adorem eos, qui Deum coluerunt, & adorarunt? Nun-

quid non expedit, quæso, Sanctos adorare, sed eos potius, quemadmodum facis tu, lapidibus persequi, & lacerare atq; in cœni lacum benemeritos conijcere? Si dilexisses Deũ, & seruos eius utique coluisses. Quòd si impura sunt ossa iustorum, cur ossa Iacob & Ioseph cum omni honore ex Aegypto sunt exportata? Quomodo homo, qui mortuus erat, contactis ossibus Elisæi statim reuixit? Quòd si per ossa res agit admirandas ipse Deus, perspicuum est, eum & per imagines, & per lapides, & per alias res multas idem posse præstare, quemadmodum egit in Elisæo, qui uirgã propriam dedit seruo suo, dixitq;, ut abiret, & per ipsum filium mulieris sunamitidis in uitam reuocaret. Iam Pharaonem Moses uirga puniuit, & diuisit mare, & aquam dulcem reddidit, & petram fregit, & aquam eduxit. At Solomon benedictũ, inquit, est lignum, per quod salus cõparatur. Elisæus autem ligno in Iordanẽ proiecto ferrum extraxit. Et lignum uitæ legimus, & lignum sabec, id est, concessionis. Moses quidẽ ligno serpentem sublimẽ extulit, & populum à mortis periculo liberum reddidit. Ligno autem in tabernaculo germinante sacerdotiũ addixit Aaroni. At enim dices mihi fortasse, Iudæe, ea quæ in tabernaculo erant testimonij, fieri Deũ omnia præcepisse. Et ego tibi respondebo, Solomonem multa uariaq; in templo sculpenda fundendaq; curasse, quæ nec Deus ipsi, ut fierent,

Gen. 40.
3. Reg. 13.
3. Reg. 3.
Exo. 7. 8. 14. 15. 18.
Sap. 14.
3. Reg. 6.
Pro. 3. et. 11.
Num. 21.
Num. 17.

mandarat, nec testimonii tabernaculo contine-
Eze. 41. bantur, nec templo illo, quod Ezechieli Deus ostendit, Neque tamen ob id Solomon damnatus est, quippe qui ad gloriam dei formas eiusmodi constituit, quemadmodum nos item facimus. Habebas & tu multas & uarias imagines, & signa, quæ te ad Dei memoriam reuocarent priusquam illis ingrati animi uitio spoliareris, Nempe Mosaicam uirgam, tabulas Dei digito inscriptas, ardentem rubum, aridam petram aquis affluentem, arcam in qua Manna gestabatur, altare diuino igne plenum, laminam Dei nomẽ continentem, Ephod indicatum à Deo, tabernaculum Deum adumbrans. Quòd si tu quoque hæc omnia nocte & die adumbrabas dicẽs gloria tibi, qui solus es omnipotẽs Deus, qui per hæc omnia res admirabiles in Israel effecisti. Atque ita ex omnibus his per legem constitutis, quæ quondam habebas, supplex Deum adorabas, cur non intelligis Deo per imagines adorationẽ præstari? Et paulopost, si enim is, qui amicum, aut maxime de se benemeritum Regem ex animo uereq; diligit, seu filium eius, seu uirgam, seu sceptrum, seu coronam, aut domum, aut seruum aspexit, complectitur, & deosculatur, atque ita bene de se meritum honore prosequitur, multo magis hac ratione Deus colendus est. Iam enim & tu, iterũ enim dicã, imagines Mosaicas & propheticas habebas, & quotidie dominũ Deum ipsarum

adorabas,

adorabas. Proinde quando Christianos homines uideris crucē adorare, scito cultum illum Christo cruci affixo, nō autem ligno exhiberi. Nam si ligni naturam uenerarer, lucos, atque arbores adorandas ducerem, id quod tu, Israel, efficiebas, cum arborem, aut lapidem sic alloquereris: Tu Deus es meus, & tu me procreasti. Nos autem non sic alloquimur crucem, aut Sanctorum imagines. Neque enim Dei sunt nostri, Sed libri aperti ad memoriam Dei, & honorem ipsius, quos in Ecclesiis palam constitutos ueneramur. Qui enim martyrem colit, Deum colit, cuius ille amore martyrium pertulit. Qui Christi adorat Apostolum, adorat eum, cuius ille Apostolus est. Et qui supplex accedit ad Christi matrem, is nimirū filio eius honorem habet. Nullus enim Deus præter unum, qui in trinitate agnoscitur, & adoratur. Vtrum Leōtius hic fidus Beati Epiphanii sermonum interpres putandus est, qui suis ipse sermonibus Cypriorum insulam decorauit, an isti, qui ex sensu loquuntur suo? Sed audi, quid etiam Seuerianus Gabalorum Pontifex in ea oratione, quam in dedicatione Ecclesiæ seruatoris habuit, dicat. Quomodo, inquit, imago execratissimi parentibus nostris uitam attulit? Et paucis uerbis interiectis, quomodo igitur, inquit, execratissimi imago populo in calamitate uersanti, & conflictato salutem attulit?

Hier. 2.

D

Non'ne credibilius erat, si dixisset: si quis uestrum morsus fuerit, coelum suspiciat, aut tabernaculum Dei, & salutem assequetur? Verum his ille posthabitis crucis tantũ imaginem sta-
o. 20. tuit. Cur autem hæc fecit Moses, qui populo dixerat, non facies tibi sculptile neque conflatile, neque similitudinem ullam earum rerum, quæ sunt in coelo sursum, aut in terra deorsum, aut in aquis sub terra? Sed quid ego hęc ingratis loquor? Dic, obsecro, fidelissime Dei minister, quod aliis uetas, id ipse facis? Quod præcipis
Exo. 32. euerti, id ipse constituis? Qui non facies, inquis, sculptile, quiq; conflatum uitulum cõminuisti, serpentẽ ipse ex ęre conficis? eumq; non clam, sed palam, & omnibus perspicuum statuis? At illa, inquit, mandaui; quo materiam impietatis excinderem, & ab omni defectione atque idolorum cultu populum abducerem. Nunc autẽ serpentem utiliter conflo, ut ueritatem ipsam
Exo. 26. præsignificem. Et quemadmodum tabernaculum & quæ in ipso sunt omnia, & Cherubim
Exo. 25. similitudinem eorũ, quæ non uidentur adhibui in sancta, ut figuram atque umbram futurorũ ostenderem, sic & serpẽtem ad populi salutem
Num. 21. conflaui, ut eiusmodi experimento exercitatus crucis imaginem & seruatorem ac redemptorem in ipsa pendentem præcognosceret. Hoc autem esse uerissimũ intelliges, amice, ex uer-
Io. 3. bis domini id ita confirmantis: Et sicut Moses

exaltauit ſerpentē in deſerto, ſic exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, Sed habeat uitam æternam. Intelligis, eum, ne fieret ulla ſimilitudo, præcepiſſe, quo populum à ſimulacrorum cultu, ad quem erat propenſus, auocaret? exaltatumq́; ſerpentem domini cruciatuum & mortis imaginem extitiſſe? Quòd autem imaginum inſtitutio nō noua, ſed priſca ſit, & apud ſanctos & eximios patres nota, & uſitata, diſce ex iis, quæ in uita Beati Baſilii ab Elladio eius diſcipulo, in Pontificatuq́; ſucceſſore conſcripta ſunt. Pius enim uir, ut ipſe narrat, Dominæ noſtrę aſtabat imagini, in qua Mercurii etiam celebris Martyris figura deſcripta erat. Aſtabat autē ſupplicans, ut impius Iulianus apoſtata tolleretur. Ex qua quidem imagine didicit, quid eſſet euenturum. Vidit enim Martyrem exiguum ad tempus obſcurum, non autē multo poſt haſtam cruentam tenentem. In uita autem ſancti Ioannis Chryſoſtomi hęc ad uerbum ſcripta ſunt. Epiſtolas ſapientiſsimi Pauli Ioannes habebat in magno pretio. Et paulo poſt, Habebat autem effigiem Apoſtoli Pauli in imagine, ubi propter corporis imbecillitatem parumper quieſcebat. Erat enim ſupraquam natura patiatur, uigilans. In hanc ille effigiem, quando perlegebat illius epiſtolas, oculorum aciem intendebat, in eaq́;, non ſecus, ac ſi Paulus ipſe uiuus

esset, obtutu defixus inhærebat, beatum ipsum appellans, totamq; animi cogitationẽ ad illum dirigens & cum eo uersans & loquens contem plando. Et post alia, cum autẽ Proclus, inquit, loquendi finẽ fecisset, oculis in Pauli effigiem defixis, & figuram eius, quem uiderat, similem conspicatus, Ioãni desiderium iniiciens, sic cũ, digito demonstrans imaginem, allocutus est: Ignoscito mihi Pater, ille, quem uidi loquentem tibi, huic similis est, atque adeo si recte memoria teneo, ipse est. In uita sanctæ Eupraxiæ scriptum est, Domini imaginẽ ei fuisse demonstratam à gregis præfecta. In uita sanctę Marię Aegyptiacæ scriptũ est. Eam imagini Dominę supplicasse, ab ipsaq; sponsionẽ exegisse, atquę ita ingressum in templum obtinuisse. In libro Beati patris nostri Sophronii Hierosolymorũ Archiepiscopi, qui Pratum inscribitur, memoriæ proditum est, fuisse (quemadmodum Abbas Theodorus Aeliotes narrabat) in monte oliuarum inclusum strenuum quẽdam senem, quem libidinis dæmon oppugnabat. Hic cum die quodam acrius urgeretur, conqueri cœpit, & alloqui dæmonẽ ad hunc modum: Ecquando tandem me desines insectari. Recede iam à me, quem ad senectutem usque persecutus es. Cui dæmon, sese oculis eius perspicuum exhibens, iura, inquit, mihi te nemini narraturum id, quod dicturus sum tibi, quod si feceris, te

amplius nõ oppugnabo. Senex autẽ per eum, qui in excelsis habitat, iurauit, nulli patefaciam inquiens, quod mihi dixeris. Tunc dæmon, Hanc, inquit, imaginem ne adoraueris, & ego post hac tecũ bellum non geram. Imago autẽ illa dominę nostræ Sanctæ Mariæ Dei genitricis effigiem dominum nostrum Iesum Christum gestantis continebat. Cui quidẽ dæmoni inclusus ille, permitte, inquit, ut considerem. Postridie autem Abbati Theodoro Aeliotæ, qui tunc in Laura Pharon habitabat, ad se pro fecto, rem omnem aperit. At ille ad inclusum, tu, inquit, Abba, uere deliquisti, qui dæmoni te obstrinxeris iureiurando. Attamen quòd rem aperueris, recte fecisti. Verum satius est tibi, ut nullum omittas in urbe postribulum, in quod non ingrediaris, quàm ut dominum Deum nostrum Iesum Christum & matrem eius ado raturũ te neges. His illum ac multis aliis uerbis confirmans ad proprium reuersus est locum. At dæmon rursus incluso sese conspicuũ præbuit, & cur, inquit, male senex, cum uerba mea te nemini iuraueris patefacturum, ei, qui uenit ad te, cuncta dixisti? Te igitur peierasse scito, & in die Iudicii damnatum iri. Inclusus autẽ me, inquit, & iurasse scio, & contra, quàm iuraui, fecisse non ignoro. Te tamen non audio. (Annotatio.) Vides hic imaginis adorationem, ad id, cuius imago est, referri? Et quantum sit ma-

lum, eam non adorare? cùm eo potius dęmon, quàm libidinis crimine hominem obstrictum uoluerit. Cum igitur multi ante hac sacerdotes Regesq; fuerint Christianę Reip. diuinitus dati pietate, doctrina, & uitæ sanctitate præstantes, plurimaq; concilia â sanctis & diuino spiritu afflatis patribus celebrata, cur nemo eorum imaginum cultum censuit improbandũ? Nouam fidẽ doceri non patiemur. Ex Sion enim
Esa. 2. ueniet lex, ut per Prophetam inquit spiritus sanctus, & uerbum Domini ex Hierusalem. Nõ permittemus, ùt aliud alias sensisse, & temporibus mutati fuisse uideamur, ne fidem nostram ii, qui ab ea sunt alieni, risum & ludum putent. Regio non cedemus imperio patrum conanti euertere consuetudinem. Neque enim piorum est Regum Ecclesiastica instituta conuellere. Non paternam pietatem, sed latronum sæuitiam arguunt, quæ per uim imperantur, nõ autem uerbis persuadentur. Testimonio sit concilium secundũ, Ephesi celebratum, quod ad hunc usque diem tyrannicum cognomen retinet, quippe cui tyranni manus uim attulit, cum Beatus martyr Phlauianus interfectus est. His de rebus statuere atque decernere non ad Reges pertinet, sed ad concilia. Nam ubi duo uel tres, inquit Dominus, congregati fuerint in
Matth. 18. nomine meo, ibi sum in medio ipsorũ. Ligandi, soluendiq; potestatẽ non Regibus, sed Apo-

ſtolis, & eorum ſucceſſoribus, & Paſtoribus, & Doctoribus, Chriſtus dedit. Licet Angelus, inquit Paulus Apoſtolus, euangelizauerit uobis præter id, quod accepiſtis. Silentio quod ſequitur, tranſeamus, uenia lenitateq́; dantes operam, ut ſententiam mutent. Quòd ſi uiderimus eos in opinione peruerſa obſtinatè perſtare, quod Deus auertat, tunc id etiam, quod ſequitur, pronuntiabimus. Verum hæc omittamus, & deprecemur. Si quis domum ingreſſus, cuius in parietibus pictor hiſtoriam Moſis & Pharaonis coloribus ſuis deſcripſerit, forte quærat, qui'nam ii ſint, qui per mare non aliter, ac ſi per ſiccam terram incederent, iter faciunt, quid reſpondebit is, qui fuerit interrogatus? Non'ne, filii ſunt Iſraelis? Ecquis ille, qui uirga percutit mare? Non'ne audiet, Moſes? Ita ſi quis etiam Chriſtum crucifixum imagine expreſſerit, quæraturq́;, qui'nam eſt hic, non'ne reſpondebit, Chriſtus Deus, qui carnem propter nos induit? Omnia profecto, domine, quæ tua ſunt, adoramus, ardentiq́; deſiderio diuinitatem, potentiam, bonitatem, miſericordiam erga nos, ſummiſsionem, carniſq́; ſumptionẽ amplectimur. Et quemadmodum ferrum ueremur ignitum attingere, nõ propter naturam ferri, ſed propter ignem, qui cum ferro coniunctus eſt, ſic etiam carnem tuam adoro, non propter carnis naturam, ſed propter diuinitatem,

Gal. 1.

Exo. 14.

quae per personam cum illa est copulata. Cruciatus adoramus. Ecquis mortem adoratam nouit? Ecquis cruciatus sanctos, ac uenerabiles uidit? Nos tamen uere corpoream Dei mei mortem, salutaresq; cruciatus adoramus. Adoramus imaginem. Adoramus omnia, quae tua sunt, Christe, seruos, amicos, imprimisq; diuinā matrem tuam. Indignamur autem, cum audimus, etiam Dei populum Ecclesiasticis institutis aduersari. Si quid enim ex iis, quae ab Ecclesia sunt instituta, tanquam ex aedificio lapides, paulatim subtrahatur, totum aedificium celeriter corruet. Nos autem firmi, stabiles, atque immobiles permaneamus super firmam petram fundati, qui Christus est, cui gloria conuenit, & honor, & adoratio, cum patre, & spiritu, & nunc, & semper, & ad innumerabilia secula seculorum: Amen.

Primae orationis Sancti Ioānis Damasceni de Sacris Imaginibus finis.

SANCTI IOANNIS DAMASCENI DE SANCTIS IMAGINIBVS ALTERA ORATIO.

PETENTI ueniam date, domini mei, & à me inutili, ac minimo Eccleſiæ Dei ſeruo, quę uera, certaq; ſunt, accipite. Non enim gloriæ cauſa, neque ut aliquid eſſe uidear, (Deus teſtis eſt) Sed ueritatis ſtudio, in quo mihi tantū ſpes ſalutis ſita eſt, & cum quo me Chriſto domino obuiam iturum, eumq́; mihi ob ea, quæ abſurde commiſi, ſuccenſentem placatum iri ſpero, & opto, ad dicendū acceſsi. Qui enim à Domino quinque talenta acceperat, alia quinque lucratus attulit, & qui duo, numero totidem, qui uero unum acceperat, cum illud defodiſſet, & ſine fructu protuliſſet, ſeruus malus appellatus eſt, & in tenebras exteriores detruſus. Quod quidem mihi ne accidat, ueritus, Domini mandato parendum cenſeo, & ſermonis talentum mihi commiſſum apud uos prudentes nummularios repono, ut cum

Matth. 25.

uenerit dominus meus, illud multiplicatum, & animorum fœnus afferens, meq; seruum fidelem inueniat, & in optatum mihi gaudium suũ dulcissimum ducat. Sed audiendi, quæso, mihi aures præbete, & cordium mensas patefacientes, orationem meam suscipite, atque eorum, quæ dicuntur, uim syncere expendite, & iudicate. Alteram autem hanc de Imaginibus orationem composui, quoniam quidam Ecclesiæ filii onus hoc mihi imposuerunt, ꝙ prior oratio haud plane à multis intelligeretur. Quamobrem hac item in re mihi obtemperanti ueniam dabitis. Inuidi serpentis, maliq; authoris Diaboli mos est, Viri charissimi, ut hominem ad Dei imaginem procreatum, uariis rationibus oppugnet, eiq; mortem contrariis artibus
Gen. 3. afferat. Statim enim in ipso principio spem illi, atque cupiditatem diuinitatis iniecit, per quam eum ad animalium ratione carentium mortem pertraxit. Eundẽ sæpe turpibus, belluisq; conuenientibus uoluptatibus illexit. Quo autem hæc medio coniungi queant, ut quis, & Deus fiat, & bestiarum seruiat cupiditati? Aliquando duxit eum ad impietatem. Nam, ut ait diuinus
Psal. 13. Pater Dauid, dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Aliquando persuasit, ut plures esse Deos existimaret. Alias ut ne unum quidem natura Deum coleret, alias ut Dæmones, ut Cœlum, & Terram, ut Solem, & Lunam, & Stellas, ut bestias etiam, quæ uel in aquis, uel in

terris degunt,& reliquas res procreatas adoraret. Aeque enim impium eſt,& debitum merentibus honorem negare, & immerentibus minime conuenientem,ac ſingularem gloriam tribuere. Quoſdam rurſus edocuit, ut malum una cum Deo principium conſtituerent, Alios decepit, ut Deum ipſum natura bonum, mali auctorem eſſe faterentur. Nonnullos eo perduxit, ut tres naturas, tresq́; perſonas nefarie uenerarentur. Quibuſdam perſuaſit, ut unam domini noſtri Ieſu Chriſti,qui unus eſt in ſancta Trinitate,perſonam, unamq́; naturam eſſe cenſerent. Aliis uero ut duplicem in eo eſſe naturam,duplicemq́; perſonam arbitrarentur. At ueritas per mediam incedens uiam hæc omnia tanquam abſurda, falſaq́; improbat, docetq́; nos,ut Deum unum eſſe fateamur,unamq́; naturam in tribus perſonis patre,filio,& Spiritu ſancto. Malum uero nõ eſſentiam eſſe,ſed accidens tradit, cogitationem quandam nimirum, & ſermonem, & actionem à Dei lege recedentem, in eo nanque quod cogitatur, & dicitur, & fit, habet eſſentiam, & ſimul atque ceſſatur, euaneſcit. Præterea Chriſtum ſanctę Trinitatis unum aſſerit duas habentem naturas, & unam perſonam. Cæterum ueritatis hoſtis,& hominum ſalutis oppugnator dæmon, qui mortaliũ quondam hominum,qui uolucrum,qui natantium, atque ſerpentium animalium imagines fieri, eisq́; tanquã Deis honores diuinos tribui

non solum gentibus, sed filiis etiã Israelis fraude sua sæpenumero persuasit, nunc labiis iniquis, & lingua dolosa diuinis sermonibus malitiam aspergens, & deformem, ac tenebricosam illius faciem cœlare studens, atque infirmorũ animos à uera, atq; à patribus instituta consuetudine abducens, Ecclesiam Christi in pace degentem conatur perturbare. Surrexerunt enim quidam dicentes, ea, quæ ad salutem nostram à Christo mirabiliter, quęq; fortiter à sanctis hominibus aduersus Diabolũ gesta sunt, imaginibus expressa proponi, ut illa cõtẽplemur, colamus, admiremur, atq; imitemur, nõ oportere. Quis autẽ diuina cognitione, & spiritus prudentia præditus, hanc Diaboli calumniam esse nõ intelligat, qui nec cladem ac dedecus suũ diuulgari, nec Dei, sanctorumq; ipsius gloriã aperte perscribi uelit? Erraremus profecto, si uel Dei, qui cerni non potest, imaginẽ faceremus, cũ id, quod est corporis expers, quodq; nec oculis uidetur, nec circũscribitur, nec figuram habet, effingi nequeat. Impieq; rursum ageremus omnino si imagines hominũ à nobis confectas, Deos arbitraremur, eisq; tanq̃ deis diuinos honores tribueremus. Verũ nihil horũ facimus, sed cũ deus propter incredibilem bonitatẽ suã, carnẽ induerit, eaq; uisus sit in terra, & cũ hominibus uersatus, naturamq;, & magnitudinem, & figuram, & colorẽ carnis assumpserit, eius imaginem facientes non erramus, eius enim formã

uidere cupimus. Nā, ut diuus ait Apostolus, in 1. Cor. 13.
speculo nunc, & ænigmate cernimus, imago
autē speculum est, & ænigma crassæ corporis
nostri cōditioni conueniens. Licet enim multū
laboret mens nostra, ea tamen, quæ corporea
sunt, transilire non potest. Tu, qui sponte tua
inuidus es Diabole, inuidia cōmotus nolles nos
domini nostri similitudinē intueri, atq; ita san-
ctos euadere, nolles nos salutiferos ipsius cru-
ciatus cernere, summissionēq; admirari, & res
admirādas ab illo gestas uidere, atq; diuinitatis
eius potentiam collaudare. Inuides sanctis, pro
pter honorē illis tributum à Deo. Descriptam
eorū gloriam à nobis perspici nō uis, ne uirtu-
tem, & fidē ipsorū imitemur, At nos tibi, dęmō
inuide, atq; hominū hostis, nō obtemperamus,
Audite populi, tribus, linguæ, uiri, mulieres,
pueri, senes, adolescētes, infantes, gens Christia-
norū sancta. Si quis euangelizauerit uobis prę-
ter id, quod Ecclesia catholica à sanctis Apo-
stolis, à Patribus, atq; Cōciliis acceptū ad hunc
usq; diem seruauit, cū ne audiueritis, ne'ue ser-
pentis consiliū acceperitis, quemadmodū fecit
Eua, ex quo mortē est assecuta. Licet Angelus, Gen. 3.
licet Rex euāgelizet uobis pręter id, quod acce Gal. 1.
pistis, aures occludite. Vereor enim illuc usq;
progredi, quo ꝓgressus est Paulus, anathema,
inquiens, sit, nam emendationē expecto. At isti
qui scripturæ sensum non perscrutantur, sic,
inquiūnt, per Mosem legislatorē, dixit Deus.

Exo.20. Ne feceris ullam similitudinem eorum, quæ sunt in cœlo, quæ'ue in terra, & per Prophetã
Psal. 6. Dauidem, Confundantur, inquit, omnes, qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulacris suis, & alia multa his similia. Quæcunque enim uel ex diuina scriptura, uel ex sanctis Patribus protulerint, ad eundem modum intelligenda sunt. Quid autem nos ad hæc? quid aliud, nisi
Io. 5. id, quod Iudæis à domino dictum est? Scrutamini scripturas. Præclarum enim est studium scripturarũ. Sed hic prudenter attendite. Deus, Viri charissimi, mentiri nõ potest. Vnus enim est Deus. Vnus testamenti ueteris auctor & noui, qui multifariam olim multisq; modis locutus Patribus in Prophetis, extremis temporibus in unigenito etiam suo locutus est filio. Animaduertite diligenter, non mea sunt hæc uerba, sed Spiritussancti, qui per sanctum Apostolum Paulum dixit. Multifariam, multisq;
Heb. 1. modis olim locutus Deus patribus in Prophetis. Deum multifariam, multisq; modis locutũ uides. Quemadmodum enim peritus Medicus nec omnibus, nec semper idem medicamenti genus ministrat, sed habita tum regionis, tum morbi, tum tẽporis, tum ætatis ratione, utilem pro sua cuique natura medicinam facit, atque alia quidem ratione infantem curat, alia perfectum ætate uirum, alia ægrotantem, alia recte ualentem. Neque uero cunctis ægrotantibus eodem medetur modo, sed ad cuiusque natu-

ram,& morbum remedia accommodat ſua,& aliud quidem ęſtate adhibet,aliud hyeme,aliud uere, autumno aliud, idemq; facit in ſingulis locis,pro uaria regionum diuerſitate. Sic optimus etiam medicus animorũ infantibus adhuc & colendorũ ſimulacrorum morbo laborantibus, qui ſimulacra Deos exiſtimantes diuinos illis honores tribuebant,Deiq; adoratione reiecta gloriam eius ad res procreatas transferebant, interdixit ne imagines facerent. Dei nanque corpore uacantis qui nec cernitur, & materia caret, nec figuram habet, nec circunſcribitur,nec cõprehenditur, imago fieri nulla poteſt. Quomodo enim quod non aſpicitur, imagine effingetur? Deum autem nemo uidit Io. 1.
unquam. Vnigenitus filius,qui eſt in ſinu patris,ipſe enarrauit,Et nemo uidebit faciẽ meã, inquit Deus, & uiuet. Quòd autem ſimulacra Exo. 33.
pro Deis adorauerint, audi quid narret ſcriptura in exitu filiorum Iſraelis,quando Moſes aſcendit in mõtem Sina,& Deo aſsidens expectauit,dum legem acciperet.Quo quidem tempore conſurgens ingratus populus Aaron dei miniſtrum ſic allocutus eſt. Fac nobis Deos, Exo. 32.
qui præcedant nos.Homini enim iſti Moſi neſcimus quid acciderit. Deinde cum mulierum ſuarum ornatum accepiſſent, atq; conflaſſent, ederunt, & biberunt, & ebrii facti ſunt uino, atque errore, & cœperunt ludere, ac præ ſtultitia dixerunt. Hi ſunt dii tui,Iſrael. Simulacra

igitur,quę nihil aliud sunt,nisi quædam dęmonum domicilia pro diis habebant, ut uides, & rei procreatæ potius, quàm procreatori seruiebant,ut diuus etiam ait Apostolus,Qui mutauerunt,inquiens, gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, & uolucrum,& quadrupedum & serpentium, & seruierunt creaturæ potiusquā Creatori. Iccirco Deus ne qua similitudo fieret, prohibuit, ut Moses ait in Deuteronomio,& locutus est,inquiens,dominus ad uos de medio ignis. Vocē
Cap.4. uerborum eius audistis & formā non uidistis, sed uocem tantum. Et paulo post. Custodite igitur sollicite animas uestras,quia similitudinē non uidistis in die, qua locutus est uobis dominus in Horeb,in mōte,de medio ignis,nequando delinquatis, & faciatis uobis ipsis sculptam similitudinem,omnem imaginem,similitudinē maris aut fœminæ,similitudinē omnis iumenti, quæ sunt super terram, similitudinem omnis auis alatę,& paucis uerbis interiectis,Nequādo inquiens respiciens in cœlum, & uidens solem, & lunam, & stellas, & omnem ornatum cœli deceptus adores ea, & latriæ cultum illis exhibeas. Vides unum illud esse propositum, ne seruiatur rei procreatæ posthabito procreatore?ne'ue latriæ cultus cuiquam, nisi soli rerum omnium Deo tribuatur? Iccirco enim ubique adorationi latriæ cultum adiungit. Et paulo post,Non erunt inquit tibi alii Dei præter me.

Non

Non facies tibi sculptile, neque omnem simili- Deu. 5.
tudinem. Et alibi, Deos inquit conflatiles non Exo. 34.
facies tibi. Vides simulacrorū cultus euitandi causa, prohiberi ne imagines fiant? Nec fieri posse ut Deus corporis expers, qui nec cernitur, nec comprehenditur, ulla exprimatur imagine? Formam eius, inquit, non uidistis. Quemadmodū & Paulus in medio stans Areopagi, Act. 17.
Genus igitur cū simus Dei, non debemus existimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum esse simile. Quòd autem hęc ita se habeant, audi. Non facies, inquit, tibi sculptile, neque omnem similitudinem. Cum hæc Deus præcepisset, fecit, inquit, uelum Tabernaculi testimonij ex hyacintho & purpura, & coccino filato, & bysso retorta, opus contextum Cherubim. Et fecit Exo. 37.
propitiatoriū ex auro puro, & duo Cherubim Heb. 9.
super arcam. Quid agis, Moses, Tu, qui dicis, ne feceris tibi sculptile, neque ullam similitudinem, uelum conficis, opus contextum Cherubim, & duo Cherubim ex auro puro? Verum audi, quid tibi respondeat Moses minister Dei, ô cęci, & stulti, uim eorum, quæ dicuntur, attendite, & animas uestras sollicite custodite. Dixi uos similitudinem non uidisse in die, qua locutus est uobis dominus in Horeb, in monte de Deu. 4.
medio ignis ne quando delinquatis, & faciatis uobis ipsis sculptam similitudinem, omnem imaginem, & deos conflatiles ne feceris tibi.

Exo.34. Non dixi ne feceris imaginem Cherubim, ut seruorum assistentium Propitiatorio, sed ne feceris tibi Deos conflatiles, & ne feceris ullam similitudinem tanquā Deos, & ne adoraueris res procreatas omisso procreatore. Itaq; Dei similitudinem non feci, neque alterius tanquā Dei, neque rem procreatam potiusquam procreatorem adoraui. Sic item uos facite. Vidisti quomodo scripturæ propositum prudenter scrutantibus patuerit? Sciendum est enim, Viri charissimi, illud in omni disputatione quæri, ut quid uerum, falsum'ue sit, & quo quisque consilio aliquid fecerit, hoc est, bono nè, an malo, intelligatur. In Euangelio quidem, & Deus, & Angelus, & homo, & cœlum, & terra, & aqua, & ignis, & aër, & sol, & luna, & stellæ, & lux, & tenebræ, & Satanas, & Dæmones, & serpentes, & scorpiones, & infernus, & uirtutes, & uitia, & omnia denique bona, atque mala descripta sunt, eo sanè consilio, ut cum omnia, quæ de iis dicuntur, uera sint, ad gloriam dei, & sanctorū, quos ipse claros, & celebres esse uult, & ad salutem nostram, euersionemq; atq; ignominiam diaboli, ac dæmonum eius referantur. Quamobrem ea nos adoramus, & colimus, & osculamur, & oculis, & labris, animoq; cōplectimur. Eodem modo in uetus omne, nouumq; testamentum, & sermones sanctorum, probatorumq; patrum affecti sumus. At turpē, & execrabilem, atque impuram detestabilium Ma-

nichæorum,& Græcorum, reliquorumq; hæreticorum scripturam,ut falsam stultámq; doctrinam continentem,& ad diaboli,ac dæmonũ eius gloriam inuentam licet Dei nomen conti neat,reiicimus, atque improbamus; Sic etiam cum de imaginibus agitur,faciendũ est,ut ueritatem inquiramus,& mentem eorum,qui illas faciunt,spectemus,ut si uera,rectáq; sit,& imagines ad gloriam Dei, & sanctorum eius, ad amplectendas uirtutes, fugiendáq; uitia, atque animorum salutẽ referantur, eas ut exempla, & similitudines & hominum rudium atq; simplicium libros, ac monumẽta complectamur, atque ueneremur. Ac Dei quidem ut carnem induti,& matris,atque sanctorum ipsius,ut qui cruciatuum, & gloriæ Christi socii, uictoresq; diaboli,& dęmonum,ac fraudum ipsorum depulsores extiterint, imagines & oculis, & labris, & animo complectentes omni amore, & cultu prosequamur. Quòd si quis diuinitatis, quæ à materia, & corpore remotissima nec cerni potest, nec figuram, aut colorem habet, imaginem audebit effingere,eam ut falsam repudiabimus, si ad gloriam, & cultum, honorémq; diaboli,aut dæmonum effecta sit, despiciendam atque igni comburendam censemus. Si quis imaginem hominũ, aut uolucrum, aut serpentium,alius'ue rei procreatę coluerit,tanq̃ Deum,hunc ab Ecclesiæ cõmunione reiiciendum iudicamus. Sicut enim sancti Patres sacri-

ficia, templaq; dæmonum euerterunt, & in eorũ locis tẽpla sanctorũ nomini dedicarunt, quę nos colimus, sic & imagines dæmonũ sustulerunt, & earum loco, Christi & Dei genitricis, & sanctorũ imagines cõstituerunt. Atq; in ueteri quidem testamento Israelitę neq; tẽpla hominum nomini cõsecrabant, neq; memoriam hominis celebrabãt, adhuc enim execrationi erat obnoxia natura humana, & mors erat supplicium, &
Deu. 19. mulcta. Itaq; deplorabat, & cadauer putabatur immundũ, & qui illud attigerat. Nunc autẽ natura nostra ex quo diuinitas illi tanq̃ medicamentum quoddã, uitã, atq; salutẽ afferens, coniuncta est, gloriosa euasit, & ad incorruptionẽ accipiendã idonea. Quare sanctorũ mors annuis laudibus celebratur, & tẽpla illis cõstituuntur, & imagines fiunt. Proinde qui imaginẽ ad xpi, aut matris eius dei genitricis, aut alicuius sanctorum gloriã, & memoriã, diabolíq; & dæmonũ ipsius ignominiã, & detrimentũ, diuino studio, atq; ardore confectam euertere conatur, ac nõ potius adorare, & colere, ac uenerari studet, ut rem honore dignã, non autẽ ut Deũ, hunc xpi, & sanctæ Dei genitricis, atq; sanctorũ hostem, diaboliq;, ac dęmonũ eius defensorem oẽs homines esse nõ dubitent, quippe qui reipsa præse ferat dolorẽ suum, quẽ ex eo percipit, q̃ Deus, & sancti eius honore, & gloria afficiuntur, & diabolus ignominia. Imago enim triũphus est, & indicium, ac monumentũ, quod eorũ, qui se

fortiter, strenueq; gesserunt, uictorię memoriã, quodq; dæmonum, qui uicti, profligatiq; sunt, ignominiam, & dedecus testatur. Regũ partes non sunt, ut Ecclesiæ leges præscribant. Considera enim quid D. Apostolus dicat, Et quos quidem in Ecclesia posuit; primũ Apostolos, 1. Cor. 12. deinde prophetas, tũ pastores, & doctores. Ad Ecclesiæ constitutionẽ non adhibuit Reges. Et Heb. 13. rursum, Obedite, inquit, Præpositis uestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus uestris reddituri. Idemq; rursus, memẽtote, inquit, Pręposítorũ uestrorũ, qui uobis locuti sunt uerbũ Dei, quorũ intuentes exitum conuersationis imitemini fidẽ. Verbum non locuti sunt uobis Reges, sed Apostoli, & Prophetę, Pastoresq; atque Doctores. Cũ præcepisset Deus Dauidi, ut ædificaret sibi domũ, sic allocutus est eũ: Non ædificabis mihi domũ tu, q̃m uir sanguinũ es. Reddite omnibus debita. Paulus clamabat Ap̃l'us, Cui tributum, Rom. 13. tributũ, cui uectigal, uectigal, cui timorẽ, timorẽ, cui honorẽ, honorẽ. Regum est ciuilis administratio. Ecclesiastica uero constitutio Pastorũ, atq; Doctorũ. Impetus iste latronũ est, fratres. Saul scidit pallium Samuelis, & quid ei contigit? Abscidit Regnũ eius Deus, & dedit ipsum 1. Reg. 16. Dauidi mãsuetissimo. Eliã persecuta est Iezabel, & linxerunt sues, & canes sanguinem eius, 3. Reg. 22. & meretrices lotæ sunt in eo. Ioannẽ Herodes interfecit, & cõsumptus à uermibus expirauit.

Mar. 6. Et nunc beatus Germanus alapis percussus, & in exilium missus est, & complures alii patres, quorum nomina nos ignoramus. Non'ne id latronum est? Dominus, cũ ad ipsum tentandi gratia Scribæ, & Pharisæi accessissent, ut eum sermone irretirẽt, quæsissentq; ex eo, liceret'ne Cæsari censum dari, nec'ne, ostendite, inquit, mihi numisma. Quod illi cum ostendissent,
Matt. 22. cuius, inquit, habet imaginẽ? Respondentibus autem illis, Cæsaris, ait: Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Paremus tibi, Rex, in iis, quæ ad uitæ ciuilis negotia pertinent, ut in tributis, uectigalibus, congiariisq; soluendis, quorum tibi, quantum ad nos spectat, munus est creditum, ac demandatum. At in ecclesiasticis rebus statuendis, ac decernẽdis habemus pastores, qui nobis locuti sunt uerbum, & leges, atque instituta ecclesiastica tradiderunt. Non transferimus terminos sempiternos, quos nobis patres nostri constituerunt. Sed quæ nobis præscripta sunt, ut ea accepimus, tuemur, atque defendimus. Si enim cœperimus ædificium Ecclesiæ uel paruis in rebus diruere, totũ paulatim dissoluetur. Materiam, ut abiectam, & uilem insectaris? id faciunt & Manichæi. At diuina scriptura bonam hãc esse
Gen. 1. prædicat. Ait enim, Et uidit Deus omnia quæ fecerat, & ecce ualde erant bona. Ego igitur & à Deo creatam materiam dico, & bonam esse confiteor. Tu autem si malam asseris, aut non

ex Deo hanc esse confiteris, aut malorũ auctorem Deum constituis. Attende igitur, quid scriptura diuina dicat de materia, quam tu abiectã, & uilem uocas. Et allocutus est Moses omnẽ coetum filiorum Israel, dicens hoc uerbũ, quod praeceperat dominus. Accipite, inquiens, à uobis ipsis oblationem domino. Omnis uoluntarius, & prono animo offeret primitias domino, aurum, argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccinum duplum filatum, & byssum retortam, & pilos caprinos, & pelles arietum rubricatas, & pelles hyacinthinas, & ligna imputribilia, & oleum unctionis, & thymiama compositionis, & lapides sardios, & lapides in sculpturam ad superhumerale, & ad poderem. Et omnis sapiens corde in uobis ueniens perficiat omnia, quæ præcepit dominus, Tabernaculũ, & cætera. Ecce materia, quæ à te despicitur, in pretio est. Quid enim caprarum pilis contemptius, abiectius'ue? Quid coloribus? Non'ne coccinum, & purpura, & hyacinthus colores sunt? Ecce præterea opera manuum hominũ, & similitudo Cherubim. Quinetiam totum ipsum tabernaculum imago erat. Vide enim, inquit Deus alloquens Mosem, ut omnia facias secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Et tamen in circuitu adorabatur ab omni Israele. Quid Cherubim, non'ne erant in conspectu populi? & arca & lucerna, & mensa, & urna aurea, & uirga, ad quæ respiciens

Margin notes: Exo. 35. (beside "coetum filiorum Israel"); Exo. 25. (beside "quit Deus alloquens Mosem")

populus adorabat? Non adoro materiam, sed materiæ ipsius effectorē, qui propter me materia factus est, & in materia domicilium posuit, & per materiam mihi salutem cōparauit. Verbum enim caro factū est, & habitauit in nobis.
Io. 1. Porrò dubii est nemini, quin caro ex materia cōstet, creataq; sit. Materiam igitur, per quam salus mihi parta est, colo, ueneror, adoro, non tamen ut Deum, sed ut actione diuina, & gratia plenam. An materia non est felicissimū, ac beatissimum illud crucis lignum? Non'ne materia augustus, & sanctus ille mons? ille Caluariæ locus? Non'ne materia salutaris illa petra? sanctū illud sepulchrum? fons ille nostræ resurrectionis? Non'ne materia nigræ literæ, quibus Euangelia scripta sunt, & coria, quibus cōteguntur? Non'ne materia est alma illa mensa quæ uitæ panem nobis subministrat? Non'ne materia, aurum, & argentum, ex quibus, & cruces, & tabulæ, & calices conficiuntur? Non'ne, quod his omnibus antecellit, materia est, corpus, & sanguis domini mei? Aut horum omnium cultū, adorationemq; tolle, aut concede, ut Ecclesiæ instituto, & more, imagines etiam, quæ Deo, & amicorum eius nomini dicatæ atq; ideo diuini gratia spiritus obumbratæ sunt, adorentur. Si propter legem imagines putas abrogandas, cur non eodem tempore & sabbatum obseruas & circuncisionē, quę grauissimo legis iussu sancita sunt? Cur non legem uniuersam custodis? Cur

Pascha domini celebras extra Hierusalē? Cur nō fratris uxorē, ut semen illi suscites, in matrimonium ducis? Cur canis canticum domini in terra aliena? Sed hæc omittantur. Scitote Christum uobis, si legem obseruetis, nihil profuturum. Qui enim in lege iustificamini, à gratia excidistis. Christum Regem, & dominum ita spectandum proponimus, ut proprio ipsum exercitu non denudemus. Exercitus enim domini sancti sunt. Proprio seipsum exercitu spoliet Rex terrenus, & tunc spoliet Regem ac dominum suum. Purpurā, coronamq; deponat, & tunc eorum, qui se fortissimos aduersus Tyrannum præstiterunt, quiq; uitiis, & perturbationibus imperarunt, honorem, & gloriam auferat. Cur enim amici Christi, qui hæredes Dei, & cohæredes Christi, diuinæq; gloriæ, & regni sunt socii, non etiam gloriæ, quæ in terra est, participes sint? Non dico uos seruos, inquit Deus, Vos amici mei estis. Hos igitur honore, quem illis habet Ecclesia, spoliabimus? O' manum audacem, ò linguam temerariam Deo contradicentem, & mandatis eius repugnantem. Si non adoras imaginem, ne filium quidem adora, qui est imago uiua Dei inuisibilis. Tēplum quod Salomon ædificauit, animalium sanguine dedicatum est, & animalium nempe leonum, & boum, & palmarum, & malorum punicorum imaginibus exornatum. Nunc autem

Psal. 136.

Gal. 5.

Io. 15.

3. Reg. 6.

Ecclesia dedicatur sanguine Christi, & sancto-
rum eius, & Christi, & sanctorum eius imagi-
nibus decoratur. Aut omnium imaginum ado
rationem tolle, aut nequid noui decerne, nec
terminos æternos moue, quos patres tui consti
non tuerunt. Non eos dico, qui fuere, antequã carne
assumpta Christus Deus noster adueniret, sed
qui post eius aduentum sunt constituti, Nam
de ueteris testamenti institutis cũ indignatione
Eze.20. loquens Deus dedi eis, inquit, præcepta non
bona secundũ duritiam cordis ipsorum. Quare
mutato sacerdotio, necessario legis etiam mu-
tatio facta est. Cæterum inspectores, ac ministri
uerbi non monumentis solum literarum, sed
institutis quibusdam non scriptis leges tradide
runt. Vnde enim sanctum Caluariæ locum,
unde monumentum uitæ cognitum habemus,
nisi quia sine scripto à patribus filii sic accepi-
mus? Nam quòd in Caluariæ loco crucifixus,
Matt.26. & in monumẽto, quod Ioseph exciderat è pe-
tra, sepultus fuerit dominus, scriptũ est. Quòd
autem hæc illa sint, quæ nunc adoramus, & alia
id genus plurima ex sermone, non scripto, sed
per manus tradito accepimus. Vnde illud, ut
ter, hoc est tribus immersionibus baptizemus?
ut ad orientem cõuersi precemur? Vt crucem
adoremus? Non'ne ex instituto, non scripto?
2.Thess.2. Quamobrem & D. Apostolus Paulus, Itaq;
fratres, inquit, state, & tenete traditiones, quas
didicistis, siue per sermonẽ, siue per epistolam,

noſtram. Cum igitur tam multa ſint Eccleſiæ ſine ſcripto tradita, & ad hunc uſque diem obſeruata, cur tam ſubtiliter de imaginibus agitis? Manichæi euangelium ſecundum Thomam conſcripſerunt, & uos ſecundum Leonẽ euangelium ſcribite. Non ſuſcipio Regem ſibi per impotentiam ſacerdotium uindicantem. Noui Valentem Regem, qui cum Chriſtianus nominaretur, orthodoxam fidem perſequebatur. Zenonem item, & Anaſtaſium, & Heraclium, & Conſtantinum illum, qui in Sicilia fuit, & Bardaniſcem, qui & Philippicus appellatus eſt, Nõ regiis regulis, ſed patriis inſtitutis tam ſcriptis, quàm non ſcriptis Eccleſiam cenſeo conſtitui, & gubernari oportere. Quemadmodum enim in orbem uniuerſum monumentis literarum promulgatum eſt Euangelium, ſic in uniuerſo terrarum orbe ſine ſcriptis inſtitutũ eſt, ut Chriſtus Deus carnem indutus, & ſancti homines imaginibus exprimerentur, ſicut etiã, ut crux adoraretur, & ad orientem conuerſi preces funderemus. Quæ tu in contrarium adducis argumenta, ea probatam apud nos imaginum uenerationem nõ conuellunt, ſed gentium eas ut Deos colentium conſuetudinem redarguunt. Non oportet propter abſurdum gentium morem, pium Eccleſiæ inſtitutum auferre. Adiurant incantatores, & impoſtores, Adiurat eos, qui initiantur, Eccleſia. Sed illi quidem dæmones inuocantes, hæc autẽ Deum

aduersus dæmonas. Sacrificabant dæmonibus gentes, sed & Israel Deo tum sanguinem, tum nidorē offerebat, & Ecclesia Deo sacrificium offert incruentum. Dęmonibus imagines dicabant gentes, sed & Israel imagines colebat tanq̄ Deos, dicebant enim. Hi sunt dii tui Israel qui
Exo. 32. eduxerunt te de terra Aegypti. Nos autē Deo uero carnem induto, deiq; seruis, & amicis, qui dæmonum fugant exercitus, imagines consecramus. Quòd si dixeris beatum Epiphanium aperte, quæ apud nos sunt, imagines improbasse, scito sermonem illum alterius cuiuspiam esse fictitium, qui, ut sæpe fit, Diui Epiphanii abusus est nomine. Neque enim pater ab aliorum patrum sentētia discrepat, cum unius omnes Spiritussancti participes fuerint. Testimonio sit eius ecclesia quę imaginibus fuit ornata, quoad aduersus illam quidam insurrexerunt, & Christi gregē perturbauerunt, turbida euersione conantes Dei populum irrigare. Si crucem, & lanceam, & arundinem, & spongiam, quibus Dei interfectores Iudæi ignominia & morte dominum meum affecerunt, ut salutis causas adoro, & colo, cur imagines ad Christi gloriam, & cruciatuum eius memoriam â Christianis hominibus institutas non adorabo? Si crucis effigiem ex quacunque materia confectam, & crucem illam salutiferam, & qui in ea suffixus est, indicantem adoro, cur imaginem non adorabo? proh inhuma-

nitas. Nam quòd materiam ipsam non adorem, perspicuum est. Dissoluta enim forma crucis, exempli gratia, ex ligno confectæ, lignum in ignem coniicio, itidem & imagines. At quòd non recens inuentum, sed uetus Ecclesiæ sit institutum, ut imagines fiant, & adorentur, audi quid de illarum usu scriptura, patresq; tradant. Dominus in Euangelio Matthæi discipulos suos, quiq; ad præscriptam ab ipsis uiuendi regulam uitam instituerent, & eorum sequerentur uestigia, beatos appellans, Vestri autem inquit beati oculi, quoniam uident, & aures, quoniam audiunt. Amen enim dico uobis, Multi Prophetæ & iusti cupiuerunt uidere, quæ uos uidetis, & non uiderunt, & audire, quæ auditis, & non audiuerunt. Et nos, quoad fieri potest, uidere cupimus. Videmus enim tanquam in speculo, & in ænigmate, & beati sumus. Imaginem Deus fecit ipse primus, & imagines ostendit, Hominem enim fecit ad imaginem suam. Abraham, & Moses, & Esaias, & omnes Prophetæ imagines uiderunt Dei, non autem ipsius essentiam. Rubus Dei genitricis imago erat, ad quem Moses cum esset accessurus audiuit à Deo. Solue calceamentum pedũ tuorũ, locus enim in quo constitisti, terra sancta est. Quòd si locus, in quo imago Dei matris à Mose perspecta fuit, terra sancta est,

Matth.13. *1.Cor.13.* *Gen.18.* *Exo.33.* *Exo.3.*

quanto magis imago ipsa nō modo sancta, sed ausim dicere, sancta sanctorum est? Dominus quęrentibus Pharisæis cur Moses libellum repudii dare iussisset, uxorēq; dimittere, respon-
Matth.19. dit. Propter cordis uestri duritiam Moses permisit uobis dimittere uxores uestras. Ab initio autem non fuit sic. Et ego uobis dico Mosem duritia cordis filiorum Israelis adductū, cum eos ad simulachrorum cultum propensos animaduerteret, prohibuisse, ne imagines facerent. Nunc autem non ita est. Diuitias enim lucis diuinæ cognitionis assecuti in fidei petra firmi
Matt.23. constitimus. Audite quid dominus dicat. Stulti & cœci, qui iurat in tēplo, iurat in ipso, & in eo, qui ipsum habitat. Et qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum, & qui iurat in imagine, iurat in eo, quem imago repræsentat. Quòd igitur tabernaculum, & uelum, & arca, & mensa, & omnia quæ in tabernaculo sunt, imagines sint, & formæ, & opera manuum hominum, quæ à cuncto Israele adorabantur, quodq; Cherubim Dei mādato sculpta fuerint, satis ostendimus, Sic enim Mosem
Exo.25. Deus est allocutus. Vide ut omnia facias secundum exemplar, quod in monte demonstratum est tibi. Paulum etiam Apostolum audi testimonio suo comprobantē, Dei iussu Israe-
Heb.8. lem manufacta, atq; imagines adorasse. Si enim esset inquit super terrā, non esset sacerdos, cum essent sacerdotes, qui offerrent secundum legē

munera, qui exemplari, & umbræ deseruiunt coelestium, sicut responsum est Moysi, cũ consummaret tabernaculum. Vide inquit omnia *Exo. 25.* facito secundũ exemplar, quod tibi ostensum est in monte. Nunc autẽ melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa uacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit. Ecce dies uenient dicit dominus, & consummabo super domum Israel & super domum Iuda testamentum no- *Hier. 13.* uum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die, qua apprehẽdi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti. Et paulo post, Dicens autem nouum, antiquauit prius. Quod autẽ antiquatur, & senescit, prope *Heb. 8.* interitum est: habuit quidẽ prius iustificationes culturæ, & sanctum seculare. Tabernaculũ *Heb. 9.* enim factum est primum, in quo erant candelabrum, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta. Post uelamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur sancta sancto rum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circuntectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habẽs manna, & uirga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, superq; eã erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium & rursum: Nõ enim in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria uerorum, sed

in ipsum cœlum, & post alia. Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam
Heb. 10. imaginem rerum. Considera & legem, & omnia, quæ ex lege constituta sunt, & omnem nostrum cultum esse manufacta sancta, quæ nos per materiam ad Deũ materię expertem adducunt. Itemq; legem, & omnia, quæ ex lege sunt, constituta, adumbrationẽ esse quandam imaginis, hoc est, nostri cultus, cultum uero nostrum esse bonorum imaginẽ futurorum, res porrò ipsas esse supremam illam Hierusalẽ, quæ materia caret, & manufacta nõ est, ut ipse D. Apo
Heb. 13. stolus ait: Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus, quæ cœlestis est Hierusalem, cuius architectus, & opifex Deus. Omnia enim quę uel ex lege, uel ex cultus nostri ratione fiunt, illius gratia sunt constituta. Ipsi gloria in secula seculorum: Amen.

testimonia SS. Patru

Sed iam ueterum, & probatorum sanctorum patrum de imaginibus testimonia uideamus. Sanctus Dionysius Areopagita in Epistola, quam ad Titum scribit, ita loquitur: Proinde nos etiã oportet depo sita uulgari de ipsis opinione intra sacra signa congruentem rebus sacris cogitationem suscipere, nec ea, quæ sunt diuinarum formarum notæ, atque exempla, & perspicuæ arcanorum naturamq; superantium spectaculorum imagines, contemnere. Nota quomodo rerũ præstantium imagines dixerit nõ esse contemnendas. Idẽ in libro de Diuinis

Ante Euangelio f. 126.

Nominibus

Nominibus loquitur ad hunc modum: Hac ratione nos item instituimur, cùm in præsentia, ratione nobis conuenienti, per sacra uela rerum diuinarum, & sacrarum humanitas, rebus sub sensum cadentibus, ea quæ intelligentia tantū percipiuntur, ex iis quæ sunt, ea, quæ essentiam superant, tegat, formasq; & figuras, rebus forma figuraq; carentibus tribuat, & simplicitatē illam natura superiorē singularium notarum uarietate impleat & effingat. (Cōmentarium.) Si humanitatis est rebus figura, formaq; carentibus, atque simplicibus figuras formasq; ratione nobis congruente tribuere, cur non ea quæ formis & figuris prædita sunt, modo nobis congruo imaginibus exprimemus, ut memoria in nobis excitetur, & ex eo motu ad imitandum adducamur? Idem in libro de Ecclesiastica Hierarchia. Verum essentiæ, inquit, atque ordines illi nobis præstantiores de quibus sacram fecimus mentionem, & corpore uacant, & sacer ipsorum Principatus, quantum ad eos spectat, sola mente percipitur, & mundo superior est. Quantum autem ad nos pertinet, uidemus eum ratione nobis congruente, signorum quæ sub sensum cadunt uarietate plenum, ex quibus sacro quidem modo ad diuinitatis coniunctionē pro ratione nobis conueniente deducimur. Ac Deum sanè diuinamq; uirtutē intelligentiæ, quemadmodum illis fas est, intelligunt, nos autem imaginibus sensum mouenti-

bus, ad diuinas contéplationes, quoad fieri potest, prouehimur. (Commentarium.) Quòd si pro ratione nobis congruente imaginibus sensum mouentibus ad diuinã & à materia remotam contemplationem perducimur, diuinaq; prouidentia pro sua in nos benignitate, rebus figura formáq; carentibus figuras & formas accommodat, ut ad eas percipiendas facilius prouehamur, cur absurdum sit, eum qui pro sua erga nos benignitate sese figuræ formæq; subiicit, imagine effingere pro ratione nobis conueniente? Sermone superioribus téporibus per manus tradito, qui ad nos usque peruenit, constat: Augarum illum, Edesæ Regem auditis iis, quę de domino ferebãtur, diuino amore inflammatum, legatos ad eum misisse, qui rogarent, ut se illi præsenté conspiciendum exhiberet, iussisseq;, ut si id impetrare non possent, effigiem eius pictura expressam reportarent, quod cum sciret is, qui omnia nouit, & omnia potest, linteolum sumpsisse, in eoq; ad os suũ admoto propriam imaginem expressisse, quod quidem linteolum ad hoc usque tépus asseruatur. At sanctus Basilius in oratione, qua beatum Martyré Barlaam laudauit, cuius initium est: Antea quidem sanctorũ mors. Exurgite, inquit, nunc mihi præclari athleticorum facinorum pictores. Comminutam Imperatoris imaginem artificio uestro extollite; Coronatũ uictorem obscurius à me depictum uestris co-

loribus illustrate. Discedo strenue Martyris factorum pictura à uobis superatus. Hodie facultate uestra me uictum gaudeo. Manũ cum igne pugnantem accuratius â uobis expressam intueor, ornatius in uestra pictura pugilem descriptum uideo. Plorent nunc etiam dæmones strenuis Martyris factis à uobis expressis uerberati. Ardens rursum illis manus & uincens ostendatur. Exprimatur etiam in tabula præfectus certaminũ Christus, cui gloria in secula seculorum: Amen. Idem in triginta capitum ad Amphilochum de spiritu sancto capite decimo octauo ita scribit: Quoniam Regis etiam imago Rex dicitur, & non duo Reges, neque enim Imperium scinditur, neq; diuiditur gloria. Quemadmodum enim principatus, & potestas, quę nobis imperat, una est, sic etiam honor, quem nos præstamus, unus est, non multi. Nam honor imagini habitus ad exemplar transit. Itaq; quod imitationis ratione hic est Imago, illic naturaliter est filius. Et quemadmodũ in rebus, quæ arte cõstant, in ipsa forma sita est similitudo, sic in diuina incompositaq; natura in diuinitatis cõmunitate est copulatio. (Cõmẽtarium.) Si Regis imago Rex est, & imago Christi Christus est, & imago sancti sãctus est, & neque secatur imperium, neque gloria scinditur, sed qui habetur honor imagini, fit honor illius, quem refert imago. Sanctos formidant ipsi dæmones, & umbram eorum fugiunt. At

imago item eſt umbra, quam nos ut dæmonū expultricem facimus. Quòd ſi dixeris mente atque intelligentia tantum Deo coniungi nos oportere, res omnes corporeas tolle, luminum ſplendorē, thuris ſuauitatem, preces, quas uoce proferimus. Myſteria ipſa diuina, quæ conficiuntur ex materia, panem, uinum, unctionis oleum, Crucis ſignum. Hæc enim omnia ex materia conſtant, ſicut etiam Spongia Chriſto cruci affixo adhibita, & Arundo, & Lancea, quæ latus illud, ex quo uita profecta eſt, perforauit. Aut horum omnium uenerationem adime, quod fieri nequit, aut ne imaginum quidem honorem reſpue. Gratia diuina præbetur rebus ex materia conſtantibus, quoniam eorū quos referunt, nomen retinent. Quemadmodū purpura, & ſericum, & quod ex his ueſtimentum cōficitur, per ſe nihil aliud ſunt, niſi tenue quoddam operimentum, quod tamen ſi Rex induerit, honoris, quo pręſtat Rex, ipſum quoque particeps fit. Ita res ex materia conſtantes per ſe quidem adorandæ non ſunt. At ſi gratia plenus ſit is, quem illæ referunt, pro fidei portione ipſæ quoq; gratiæ participes fiunt. Apoſtoli dominum corporeis oculis conſpexere. Apoſtolos alii ſunt conſpicati. Martyres uiderunt alii. Ego quoq; deſidero hos animo coporeq; conſpicere, & medicamentum habere, quo deſiderium meum expleatur, quandoquidem duplex creatus ſum, & uidens ueneror id,

quod uidetur, non ut Deum, sed ut rei uenerandæ uenerabile simulachrum. Tu quidem forte sublimior es, à materiaq; remotior, & supra corpus incedens, & carne quodammodo carens, despicis quicquid sub aspectum cadit. Ego uero ut qui homo sim, corporeq; circundatus, cupio cum iis, quæ sancta sunt, corpore uersari, eaq; oculis cōtueri. Tu qui sublimis es, submissius te gerens, ignosce mei sensus humilitati, ut sublimitatem tuam conserues. Dominus desiderium meum erga se atque amicos suos complectitur, & charum habet. Gaudet enim dominus cum gratum uidet seruum laudibus affici, quemadmodum ait Basilius in ea oratione, qua Martyres quadraginta collaudat. Vide autem quid etiam celebrem illum Gordium laudans idem dicat. Lætantur inquit populi lætitia spiritali, ex sola commemoratione rerū, quæ recte à uiris iustis gestæ sunt, audientesq; ad earum æmulationem atque imitationē incitantur. Nam eorum qui ex uirtute uitam instituerunt, hystoria tanquā lucem quandam subministrat iis, qui seruantur, in uia uitæ. Et rursum. Quapropter, inquit, quando uitam eorum, qui pietatem coluerunt, explicamus, primum quidem dominum in seruis honoramus, deinde iustos laudibus efferimus, earum rerū testimonio, quas cognitas habemus. Postremo rerum honestarum cōmemoratione, populis lætitiam afferimus. (Commentarium.) Vide

quomodo in ſanctorum memoria, tum Dei gloria, tum ipſorum laus, tum populorum lætitia, ſalusq; conſiſtat. Cur igitur hanc auferre conaris? Quod autem per orationem, & imagines, commemoratio Sanctorum fiat, audi eundem D. Baſilium, in eadem oratione, ita differentem. Quemadmodum enim, ignem ſponte ſequitur ſplendor, & unguentũ bonus odor, ita recte facta neceſſario ſequitur utilitas. Atqui ne id quidem parum eſt, ueritatem eorũ, quæ tunc geſta ſunt, plane conſequi. Obſcura enim quædam memoria ad nos peruenit, præclara in certaminibus facinora uiri conſeruans, idemq; nobis quodammodo, quod pictoribus, uidetur accidere. Etenim illi cum ex imaginibus imagines deſumunt, plurimum, ut par eſt, à ueris exemplaribus deficiunt. Et nos cum rerum ipſarum ſpectaculum nõ inſpexerimus, non paruum periculum eſt, ne ueritatem imminuamus. In extrema autem, eiuſdem orationis parte, ſicut enim, inquit, ſolem, cum ſemper eum aſpiciamus, ſemper admiramur, ita uiri illius memoriam, ſemper recentem retinemus, ſemper nimirum in ſermonibus, & imaginibus eum intuentes. In oratione uero, qua nobiles quadraginta Martyres laudauit, Quæ nam inquit memoriæ martyrum celebrandæ ſatietas eſſe queat illi, qui Martyres ſtudio, beneuolentiaq; proſequitur? Honor enim qui bonis conſeruis habetur, indicium amoris eſt, erga com-

munem dominum. Et rursum, ingenue, inquit, eos lauda, qui martyriũ pertulerunt, ut uoluntate sis martyr, discedasq; sine persecutione, sine igne, sine uerberibus, eisdem; quibus illi laudibus dignus. (Commentarium.) Cur igitur me reuocas ab honore sanctorum? Cur mihi salutẽ inuides? Quod autẽ formam coloribus expressam, sermonibus affinem existimet, audi eum paulo post loquentem, ad hunc modum: Age igitur, ipsos in medium adducentes, & memoriam eorum celebrantes, communem ex ipsis utilitatem audientibus afferamus, strenua uirorum facta, tanquam in tabella omnium oculis subiicientes. (Commentarium.) Cernis quomodo sit idem, imaginis, & orationis officium. Tanquã enim in tabella, inquit, omnium oculis proponemus, fortia uirorum facta uerbis expressa. Eodemq; loco statim hæc subiicit: Quę enim in bello, fortiter gesta sunt, Ea sæpenumero, tum Oratores, tũ Pictores explicant, Illi quidem ea uerbis exornantes, hi uero coloribus exprimentes, qua quidem ratione, multos utrique ad uirtutem incitant. Quæ enim historiæ sermo auribus proponit, ea pictura tacens, per imitationem oculis ostendit. (Commentarium.) Quibus uerbis clarius demõstrari potest, imagines apud homines illiteratos, ac rudes, esse ueluti libros, & sanctorum honoris, esse minime mutos buccinatores, quippe quæ tacita quadam uoce doceant, aspectumq; san-

ctum reddant. Ego cui nec suppetit librorum copia, nec legendi spatium, quiq; rationum, & argumentorum aculeis, tanquam spinis enecari me sentio, in communem animorum medicamenta continentem officinam, hoc est, Ecclesiam, ingredior. Ad spectandum me alliciunt picturæ flores, quæ tanquam in prato oculos meos oblectant, sensimq; instillant animo gloriam Dei. Contemplor fortitudinem Martyris, coronarum præmia considero, & tanquam igne incendor æmulandi cupiditate, atque prostratus, & supplex, per martyrem Deū adoro, salutemq; percipio. Quid? non audisti eundem diuinum patrem, qui in ea oratione, quam in psalmorum initium scripsit, spiritus sanctus, inquit, sciens hominū generi difficile posse quicq̄ persuaderi, & laborē ingratum esse, concentus, & armoniæ suauitatē, psalmis immiscuit. Quid ais? non depingam ego, & uerbis, & coloribus, martyria sanctorum? eaq; & Angelis, & rebus omnibus procreatis admiranda, Diabolo autē, ut idem Ecclesiæ splendor Basilius ait, acerba, & dæmonibus formidolosa, nō & oculis, & labris prosequar? Sed audi quid in extrema parte laudationis quadraginta Martyrum dicat: O chore sancte; O cœtus sacer. O agmen inuictū. O communes generis hominum custodes. O boni curarum socii. O precum adiutores. O Legati potentissimi. Orbis terrarū stellę. Flores Ecclesiarum. Flores, inquam ego, animis sensi-

busq; iucundi, Vos nō condidit terra, sed cœlū suscepit. Vobis paradisi fores patuerunt, dignū prębentibus spectaculum Angelis, dignum Patriarchis, prophetis, iustis. Quod igitur Angeli cupiunt intueri, id ego cernere nō concupiscā? His Basilii uerbis cōsentiunt ea, quę frater eius, atq; idem sentiens Gregorius ille Nyssentium Pontifex ait in capite quarto illius libri, quem ipse cōscripsit de opificio Dei. Quemadmodū, inquit, homines, qui Imperatorū imagines fingunt, nō solum formæ notam exprimere consueuerūt, sed etiā purpuræ uestimentū adiicere, quo regia dignitas indicatur. Mos autē est, ut opus eiusmodi tū Imago, tū Rex appelletur, sic etiā humana natura, cū eo cōsilio procrearetur, ut aliis rebus imperaret, tanq̄ animata quędam imago constituta est, & dignitatis, quam habet exēplar, nomen obtinuit. Idē in quinto capite eiusdem libri, Diuina, inquit, pulchritudo, non figura aliqua aut formę concinnitate per ullam coloris elegantiā illustratur, sed in beatitudine secundū uirtutē, quę explicari nō potest, cōspicitur. At hominum formas, pictores coloribus quibusdā in tabulis exprimūt. Eo nanq; studio colores proprios, adhibent, atq; cōmiscent, ut pictura exemplaris pulchritudinē repræsentet. vide, nō figura aliqua, aut formę præstātia, nec ulla coloris elegātia diuinā pulchritudinē illustrari, atq; ideo nō posse illius imaginē exprimi. Humanā aūt formā in tabella coloribꝰ effingi.

Philip. 2. Quamobrē cum Dei filius in hominis forma factus sit, serui formam accipiens, & in similitudine hominum factus, & in figura inuentus ut homo, cur non eius imago fiet? Et si mos est, ut Regis imago Rex appelletur, & honor qui habetur imagini, ad eū transit, cuius imago est, ut inquit D. Basilius, cur non coletur, & adorabitur imago, non tanquam Deus, sed tanquā imago Dei, qui carnē induit humanam? Idem in oratione, quam Constantinopoli de filii, & spiritus diuinitate habuit, quaq; Abraham laudauit, Hinc, inquit, prius uinculis alligatū assumit filium pater. Huius ego acerbæ rei spectaculum sæpe pictura expressum, uidi, nec sine lacrymis illud pręterii, cum ars perspicue rem gestam oculis subiiceret. Isaac genibus flexis manibusq; post tergum reuinctis iacet ante ipsum altare. Pater uero post filii poplites accedens, sinistraq; manu comam illius apprehensam ad se trahens, incumbit filii capiti, miserabiliter ad patrem respicientis, Dexteram autē gladio armatam ad cædem dirigit. Iamq; gladii acies corpus attingit, cum uox diuinitus prohibens exauditur. Sanctus autē Ioannes Chrysostomus in explicatione Epistolæ ad Hebræos. Et secundi quodāmodo imago, inquit, est primus, nempe Christi Melchisedech non aliter, ac si quis ante adumbratam à pictore delineationem, umbram ipsius picturæ, quæ in corpore est, uocet. Iccirco enim umbra lex dicitur, &

lex umbra. Gratia veritas legis umbratæ. Res, ea quæ futura sunt. id est: in sæculo futuro euentura, et hæc modo iam depinguntur, unde pictura rei modo est umbra, seu figura rei euentur[illegible].

gratia ueritas, res autem, ea, quæ futura sunt. Quare lex quidē, & Melchisedech, est adumbratio picturæ coloribus expressæ. Gratia autē & ueritas, pictura consistens in corpore. Res uero, ea, quæ futuro seculo sunt euentura. Vt antiqua lex sit figura figuræ, noua autē figura rerum. At Leontius Neapolis, quæ in Cypro est, Pontifex in oratione, quam aduersus Iudæos habuit, de Christi Cruce, deq; sanctorū Imaginibus adorandis, & de sanctorum simul reliquiis uerba faciens, Quòd si mihi uitio, inquit, uerteris, Iudæe, quòd Crucis lignum adorem, tanquam Deum, cur non eadem ratione Iacob in crimen uocas, quòd Virgę fastigium adorauerit? Atqui perspicuum est, eum hono re illo non lignum, sed Ioseph adorauisse, Gen. 48.
quemadmodum nos Item, per Crucem Christum, non autem lignum ueneramur. Quare si Crucis figuram adoramus, eius Imaginem ex qualibet materia conficientes, cur crucifixi Imaginem non adoremus? Idemq; rursum Leontius, Quando, inquit, & Abraham Gen. 23.
uendentes sibi sepulchrum licet homines impios adorauit, genuq; flexit in terram. Verum illos non adorauit ut Deos, Itemq; Iacob Gen. 47.
benedixit Pharaoni, quamuis esset impius, simulacrorumq; cultor, non tamen ei benedixit ut Deo. Esau quoque fratrem adorauit, sed Gen. 33.
nō uti Deum. Præterea quomodo nobis præcipit Deus, ut adoremus terram, & montes?

Psal. 108. Nam exaltate, inquit, dominum Deũ uestrum, & adorate in monte sancto eius, & adorate scabellum pedũ eius, quoniam sanctũ est. Porro
Esa. 66. scabellũ eius est terra, cœlum enim inquit mihi sedes est, terra autẽ scabellum pedum meorũ,
Exo. 18. dicit dominus. Quid Moses? non'ne adorauit Iothor, simulachrorũ cultorẽ? Et Daniel Nabuchodonosor? Quę cum ita sint, cur mihi succenses ꝙ colam, & adorẽ eos, qui Deũ coluerunt, & adorarunt? Nunquid non expedit, quæso, sanctos adorare, sed eos potius quemadmodũ facis tu, lapidibus persequi, & lacerare atque in cęni lacum benemeritos conijcere? Si dilexisses Deum, & seruos eius utique coluisses. Quòd si
Gen. 40. impura sunt ossa iustorum, cur ossa Iacob, & Ioseph, cum omni honore ex Aegypto sunt exportata? Quomodo homo, ꝗ mortuus erat,
3. Reg. 13. contactis ossibus Elisæi statim reuixit? Quòd si per ossa res agit admirandas ipse Deus, perspicuum est, eum & per imagines, & per lapides, & per alias res multas idem posse præstare, quemadmodum egit in Elisæo, qui uirgã pro-
3. Reg. 3. priam dedit seruo suo, dixitq;, ut abiret, & per
Exo. 7. ipsam filium mulieris Sunamitidis in uitam re-
& 8. uocaret. Iam Pharaonẽ Moses uirga puniuit,
Exo. 14. & diuisit mare, & aquã dulcẽ reddidit, & petrã
& 15. fregit, & aquã eduxit. At Solomon, benedictũ,
& 18. inquit, est lignum, per quod salus comparatur.
Sap. 14. Elisæus autẽ ligno in Iordanem proiecto fer-
3. Reg. 6. rum extraxit. Et lignum uitæ legimus, & lignũ

Sabec,ideſt,conceſsionis. Moſes quidem ligno Pr.3.et.ij.
ſerpentẽ ſublimem extulit,& populum à mortis periculo liberum reddidit. Ligno autem in tabernaculo germinante ſacerdotium addixit Aaroni. At enim dices mihi fortaſſe, Iudæe,ea, Num.17.
quæ in tabernaculo erant teſtimonii, fieri Deũ omnia præcepiſſe. Et ego tibi reſpondebo, Solomonem multa uariaq; in templo ſculpenda fundendaq; curaſſe, quæ nec Deus ipſi, ut fierent mandarat, nec teſtimonii tabernaculo continebantur, nec templo illo, quod Ezechieli Ezech.41.
Deus oſtendit, Neque tamen ob id Solomon damnatus eſt, quippe qui ad gloriam Dei formas eiuſmodi conſtituit, quemadmodum nos item facimus. Habebas,& tu,multas, & uarias imagines,& ſigna,quę te ad Dei memoriam reuocarent, priuſquam illis ingrati animi uitio ſpoliareris, Nempe moſaicam uirgam,tabulas Dei digito inſcriptas,ardentem rubum,aridam petram aquis affluentẽ, Arcam in qua Manna geſtabatur, Altare diuino igne plenum, laminam Dei nomen continentem. Ephod indicatum à Deo, Tabernaculum Deum adumbrans. Quòd ſi tu quoque hæc omnia nocte,ac die adumbrabas,dicens gloria tibi,qui ſolus es omnipotens Deus, qui per hæc omnia res admirabiles in Iſrael effeciſti. Atque ita ex omnibus his per legem conſtitutis, quæ quondam habebas,ſupplex Deum adorabas, cur non intelligis Deo per imagines adorationẽ preſtari?

Et paulopost, Si enim, is, qui amicum, aut maxime de se benemeritum Regem, ex animo, uereq; diligit, seu filium eius, seu uirgam, seu sceptrum, seu coronam, aut domum, aut seruum aspexerit, complectitur, & deosculatur, atque ita bene de se meritum honore prosequitur, multo magis hac ratione Deus colendus est. Iam enim & tu, iterum enim dicam, imagines Mosaicas, & Propheticas habebas, & quotidie Dominum Deum ipsarum adorabas. Proinde quando Christianos homines uideris Crucem adorare, scito cultum illum Christo Cruci affixo, non autem ligno exhiberi. Nam si ligni naturam uenerarer, lucos, atque arbores adorandas ducerem, id quod tu Israel efficiebas, cum arborem, aut lapidem
Hier.2. sic alloquereris, Tu Deus es meus, & tu me procreasti. Nos autē non sic alloquimur Crucem, aut sanctorū imagines. Neque enim Dei sunt nostri, sed libri aperti ad memoriā Dei, & honorem ipsius, quos in Ecclesiis palam constitutos ueneramur. Qui enim martyrē colit, Deum colit, cuius ille amore martyriū pertulit. Qui Christi adorat Apostolum, adorat eum, cuius ille Apostolus est. Et qui supplex accedit ad Christi Matrem, is nimirū filio eius honorē habet. Nullus enim Deus præter unū, qui in Trinitate agnoscitur, & adoratur. Vtrū Leontius hic fidus Beati Epiphanii sermonum interpres putandus est, qui suis ipse sermoni-

bus Cypriorum Insulam decorauit, an isti qui ex sensu loquuntur suo? Sed audi, quid etiam Seuerianus Gabalorum Pontifex in ea oratione, quam in dedicatione Ecclesiæ seruatoris habuit, dicat. Quomodo inquit imago execratissimi parentibus nostris uitã attulit? Et paucis uerbis interiectis, quomodo igitur, inquit, execratissimi imago, populo in calamitate uersanti, & conflictato, salutem attulit? Nonne credibilius erat, si dixisset: Si quis uestrum morsus fuerit, cœlum suspiciat, aut tabernaculum Dei, & salutem assequetur? Verum his ille posthabitis, Crucis tantum imaginẽ statuit. Cur autem hæc fecit Moses, qui populo dixerat, non facies tibi sculptile, neque conflatile, neque similitudinem ullam earum rerum quæ sunt in cœlo sursum, aut in terra deorsum, aut in aquis sub terra? Sed quid ego hæc ingratis loquor? Dic, obsecro, fidelissime Dei minister, quod aliis uetas, id ipse facis? Quod præcipis euerti, id ipse constituis? Qui non facies, inquis, sculptile, quiq; conflatum uitulũ comminuisti, serpentẽ ipse ex ære conficis? eumq; non clam, sed palam, & omnibus perspicuum statuis? At illa, inquit, mandaui, quo materiã impietatis excinderem, & ab omni defectione, atque idolorum cultu, populum abducerem. Nunc autem serpentem utiliter conflo, ut ueritatem ipsam præsignificem. Et quemadmodum tabernaculum compegi, & quæ in ipso

Exo. 20.
Exo. 32.
Exo. 26.

ſunt omnia, & Cherubim ſimilitudinem, eorũ, quæ non uidentur, adhibui in ſancta, ut figurã, atque umbram futurorum oſtenderem, ſic & ſerpentem ad populi ſalutem conflaui, ut eiuſ-
Num.20. modi experimento exercitatus crucis imaginem, & ſeruatorem, ac redemptorem in ipſa pendentem præcognoſceret. Hoc autem eſſe uerißimum intelliges amice, ex uerbis Domi-
Io.3. ni, id ita confirmantis, Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Intelligis, eum, ne fieret ulla ſimilitudo præcepiſſe, quo populum à ſimulacrorum cultu, ad quem erat propenſus, auocaret? Exaltatumq; ſerpentem Domini cruciatuum, & mortis imaginem extitiſſe? Quòd autem imaginum inſtitutio, non noua ſed priſca ſit, & apud ſanctos, & eximios patres nota, & uſitata, diſce, ex iis, quæ in uita Beati Baſilii ab Elladio, eius diſcipulo, in pontificatuq; ſucceſſore conſcripta ſunt. Pius enim uir, ut ipſe narrat, Dominæ aſtabat imagini, in qua Mercurii etiam celebris Martyris figura deſcripta erat. Aſtabat autem ſupplicans, ut impius Iulianus apoſtata tolleretur. Ex qua quidẽ imagine, didicit, quid eſſet euenturum. Vidit enim Martyrem, exiguum ad tempus obſcurum, nõ autem multo poſt haſtam cruentam tenentem. In uita autem Sancti Ioannis Chryſoſtomi, hæc ad uerbum ſcri-

pta

pta sunt. Epistolas sapientissimi Pauli Ioannes habebat in magno pretio. Et paulo post, Habebat autem effigiem Apostoli Pauli in imagine, ubi propter corporis imbecillitatem parumper quiescebat. Erat enim supra q̃ natura patiatur, uigilans. In hanc ille effigiem quando perlegebat illius epistolas, oculorum aciem intendebat, in eaq́; , non secus ac si Paulus ipse uiuus esset, obtutu defixus inhærebat, beatum ipsum appellans, totamq́; animi cogitationem ad illum dirigens, & cum eo uersans & loquens contemplando. Et post alia, cum autem Proclus, inquit, loquendi finem fecisset, oculis in Pauli effigiem defixis, & figuram eius, quem uiderat, similem conspicatus, Ioanni desiderium iniiciens, sic eum, digito demonstrans imaginem, allocutus est: Ignoscito mihi pater, Ille quem uidi loquentem tibi, huic similis est. Atque adeò si recte memoria teneo, ipse est. In uita sanctæ Euphrasiæ scriptũ est, domini imaginẽ ei fuisse demonstratam à gregis præfecta. In uita Sanctæ Mariæ Aegyptiacæ scriptum est, eam imagini Dominæ supplicasse, ab ipsaq́; sponsionem exegisse, atque ita ingressum in templum obtinuisse. Ioannes autem Chrysostomus in oratione, in qua ueteris, & noui testamẽti, unum & eundem auctorem esse declarat, & de sacerdotis uestimento loquitur, Ego, inquit, & sinceram amo picturam pietate plenã. Video enim Angelum in imagine

barbarorũ copias in fugam uertentem. Video barbarorũ populos profligatos, & Dauidem
Psal. 72. uerba illa uere pronuntiantem. Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Idem in explanatione parabolæ seminis, si contumelia Regis uestimẽtum afficias, non'ne contumelia Regem afficis? Nescis, te, si in Regiam imaginem contumeliosus existas, in eum ipsum, quem illa refert iniurium esse? Ignoras, qui ex lignea, aut ærea statua imaginem detraxerit, eum non tanquam in materiam inanimatam audax extiterit, sed tanq̃ ignominia regem affecerit, condemnari? Quæ enim Regis effigiẽ præsefert, ignominiam in se coniectam refert ad Regem. Idem Ioannes Chrysostomus in oratione qua Meletium Episcopum Antiochiæ, & Martyrem, eorumq; qui conuenerant, studium collaudauit, cuius initium est: In omnes sacri huius'ce gregis partes oculos coniiciens: Et pietatis documẽta, inquit, res ipsa continebat: Etenim cum assidue cogerentur appellationis illius meminisse, & sanctum illum in animo, & memoria retinere, nomen ipsum tanquam quoddam omnium perturbationũ, absurdorumq; sermonũ amuletum habebant. Qui sanè mos adeo percrebuit, ut passim & in biuiis, & in foro, & in agris, hoc undique nomine cuncta resonarent. Neque uero erga nomen id solum, sed erga ipsam corporis eius effigiem sic affecti eratis. Itaq; quod in eius no-

mine fecistis, idem in imagine præstitistis, adeo, ut multi & in annulorum palis, & in poculis, & in phialis, & in cubiculorum parietibus, & ubique sculptam, aut pictam illius imaginem habere uoluerint, quo tum sanctũ nomen illud audientes, tũ expressam corporis eius effigiem intuentes, duplicem peregrinationis consolationem acciperent. Idem ubi de Iudæ proditione, & de Paschate, deq; mysteriorum traditione, & uoluntaria iniuriarum obliuione uerba facit, quemadmodũ, inquit, pictores, in tabulis suis, & lineas, & umbras, & ueros adhibent colores, sic etiam Christus fecit. At Mediolani Põtifex Ambrosius in Epistola quam ad uniuersam Italiam scripsit, Mihi autẽ, inquit, tertia nocte, cum ex inedia iam corpus laboraret, non dormienti, sed in mentis stupore constituto, sese ostenderunt cum quadã persona, Beato Paulo Apostolo simili, ut eius effigies pictura in tabulis expressa facile declarabat. Maximus uero Philosophus, atque confessor, ubi commemorat ea, quę inter ipsum & Theodosium episcopum gesta sunt, Dum hæc, inquit, agerẽtur, omnes cum lętitia & lacrymis consurgere, pœnitere, preces fundere, sancta singuli Euãgelia, pretiosamq; crucem, & Dei, ac seruatoris nostri Iesu Christi, & Dominæ nostrę Dei ipsius genitricis imaginem salutare, atque osculari, manuum complexione, ea, quæ dicta fuerant comprobantes. Sanctissimus autem, & Beatis-

ſimus Theopoleos Archiepiſcopus,& Patriarcha Anaſtaſius, ubi de ſabbato agit, & ad Symeonem ſcribit Epiſcopũ,ita loquitur: Quemadmodum enim abſente Rege imago eius pro ipſo adoratur, preſente uero, licet ſuperuacaneum ſit,relicto exemplari imaginem adorare, non tamen,quoniam is, propter quem imago colitur, adeſt, ipſa, propterea deſpicienda eſt. Et paulo poſt, Quemadmodũ enim qui Regis imaginem afficit ignominia,ita punitur,ut ſi protinus in ipſum Regem fuiſſet contumelioſus,quamuis imago nihil aliud ſit, niſi lignum, coloresq; cera commixta, & coagmentata, ſic qui figurã rei alicuius deſpicit, atq; contemnit, in eam ipſam rem,quam figura illa refert,iniurius eſt, & contumelioſus. Iam uero in libro ſancti patris noſtri Sophronii Hieroſolymorũ Archiepiſcopi,qui pratum inſcribitur,hoc memoriæ proditum eſt, fuiſſe, quemadmodum

De idem f. 61. Abbas Theodorus Aeliotes narrabat, in mõte oliuarum incluſum ſtrenuum quendam ſenẽ, quem libidinis dæmon oppugnabat. Hic cum die quodam acrius urgeretur,conqueri cœpit, & alloqui dæmonẽ ad hunc modũ: Ecquando tandem me deſines inſectari. Recede iam à me, quem ad ſenectutem uſq; perſequutus es. Cui Dæmon, ſeſe oculis eius perſpicuum exhibẽs, iura,inquit, mihi te nemini narraturũ id, quod dicturus ſum tibi,quod ſi feceris, te nõ amplius oppugnabo. Senex autẽ,per eũ,qui in excelſis

habitat, iurauit, nemini patefaciam, inquiens, quod mihi dixeris. Tunc dęmon, Hanc, inquit, imaginem ne adoraueris, & ego posthac tecũ bellum nõ geram. Imago autem illa Dominæ nostræ sanctæ Mariæ Dei genitricis effigiem, Dominum nostrũ Iesum Christum gestantis continebat. Cui quidem dæmoni inclusus ille, permitte, inquit, ut considerem. Postridie autẽ Abbati Theodoro Aeliotæ, qui tunc in Laura Pharon habitabat ad se profecto rem omnem aperit. At ille ad inclusum, Tu, inquit, Abba uere deliquisti, qui dæmoni tete obstrinxeris iureiurando. Attamen ꝙ rem aperueris, recte fecisti. Verum satius est tibi, ut nullum omittas in urbe prostibulum, in quo non ingrediaris; quam ut Dominum Deum nostrum Iesum Christum, & matrem eius adoraturũ te neges. His illum ac multis aliis uerbis confirmans ad proprium reuersus est locum. At dæmon rursus incluso sese conspicuum præbuit, & cur, inquit, male senex, cũ uerba mea te nemini iuraueris patefacturum, ei, qui uenit ad te, cuncta dixisti? Te igitur peierasse scito, & in die iudicii damnatũ iri. Inclusus autẽ me, inquit, & iurasse scio, & contra, q̃ iuraui, fecisse non ignoro. Te tamen non audio. (Annotatio.) Vides hic imaginis adorationẽ, ad id cuius imago est referri? Et quantum sit malum, eam nõ adorare? Cum eo potius dęmon, q̃ libidinis crimine hominem obstrictum uoluerit? Cũ igitur multi, ante hac

ſacerdotes Regesq; fuerint Chriſtianæ Reip. diuinitus dati pietate, doctrina, & uitæ ſanctitate præſtantes, plurimaq; concilia, à ſanctis & diuino ſpiritu afflatis patribus, celebrata, cur eorũ nemo imaginum cultum cenſuit improbandum? Nouam fidem doceri non patiemur. Ex
Eſa. 2. Sion enim ueniet lex, ut per Prophetam inquit ſpiritus ſanctus, & uerbum domini ex Hieruſalem. Non permittemus, ut aliud alias ſenſiſſe, & tẽporibus mutati fuiſſe uideamur, ne fidem nõſtrã ii, qui ab ea ſunt alieni, riſum, & ludum putent. Regio non cedemus imperio patrum conanti euertere conſuetudinem. Neque enim piorum eſt Regum Eccleſiaſtica inſtituta conuellere. Non paternam pietatem, ſed latronum ſæuitiam arguunt, quæ per uim imperantur, non autem uerbis perſuadentur. Teſtimonio ſit concilium ſecundum Epheſi celebratum, quod ad hunc uſque diem tyrannicum cognomen retinet, quippe cui tyranni manus uim attulit, cum Beatus Martyr Phlauianus interfectus eſt. His de rebus ſtatuere atque decernere non ad Reges pertinet, ſed ad concilia. Nam
Matt. 18. ubi duo, uel tres, inquit Dominus, congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio ipſorum. Ligandi, ſoluendiq; poteſtatem, non Regibus, ſed Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, & paſtoribus, & doctoribus Chriſtus dedit.
Gal. 1. Licet Angelus, inquit Paulus Apoſtolus, euangelizauerit uobis præter id, quod accepiſtis.

Silentio quod ſequitur tranſeamus, uenia, lenitateq; dantes operam, ut ſententiam mutent. Quòd ſi uiderimus eos in opinione peruerſa obſtinate perſtare, quod Deus auertat, tunc id etiam, quod ſequitur pronuntiabimus. Verum hæc omittamus, & deprecemur. Siquis domum ingreſſus, cuius in parietibus pictor hiſtoriam Moſis & Pharaonis, coloribus ſuis Exo.14. deſcripſerit, forte quærat, quinam hi ſint qui per mare, non aliter ac ſi per ſiccam terram incederent, iter faciant, quid is, qui fuerit interrogatus reſpondebit? Non'ne filii ſunt Iſraelis? Ecquis ille, qui uirga percutit mare? Non'ne audiet, Moſes? Ita ſiquis etiam Chriſtum crucifixum imagine expreſſerit, queraturq;, quinam eſt hic, non'ne reſpondebit, Chriſtus Deus, qui carnem propter nos induit? Omnia profecto, Domine, quæ tua ſunt adoramus, ardentiq; deſiderio, diuinitatem, potentiam, bonitatem, miſericordiam erga nos, ſummiſsionem, carniſq; ſumptionem amplectimur. Et quemadmodum ferrum ueremur ignitum attingere, non propter naturam ferri, ſed propter ignem, qui cum ferro coniunctus eſt, ſic etiam carnem tuam adoro, non propter carnis naturam, ſed propter Diuinitatem, quæ per perſonam cum illa eſt copulata. Cruciatus adoramus. Ecquis mortem adoratam nouit? Ecquis cruciatus ſanctos ac uenerabi-

les uidit ? Nos tamen uere corpoream Dei mei mortem, salutaresq; cruciatus adoramus. Adoramus imaginem, adoramus omnia, quæ tua sunt, Christe, seruos, amicos, imprimisq; diuinam matrem tuam. Indignamur autem, cum audimus, etiam Dei populum Ecclesiasticis institutis aduersari. Siquid enim ex his, quæ ab Ecclesia sunt instituta, tanquam ex ædificio lapides, paulatim subtrahatur, totum ædificium celeriter corruet. Nos autem firmi, stabiles, atque immobiles permaneamus, super firmam petram fundati, qui Christus est, cui gloria conuenit, & honor, & adoratio, cum patre, & spiritu, & nunc, & semper, & ad innumerabilia secula seculorum: Amen.

Orationis secundæ Sancti Ioãnis Damasceni de Sanctis Imaginibus finis.

SANCTI IOANNIS DAMASCENI IN EOS, QVI VENERABILES ET SANCTAS IMAGINES REIICIENDAS PVTANT.

ORATIO TERTIA.

IMPROBVS ſerpens, maliq; princeps Diabolus hominem ad Dei imaginẽ procreatũ multis rationibus oppugnare, eiq; mortem artibus inter ſe contrariis inferre conſueuit. Statim enim in ipſo principio ſpem illi atque cupiditatem diuinitatis iniecit, per quam eum ad animalium rationis expertium mortẽ deduxit. Eundẽ ſæpe uoluptatum beſtiis conuenientium eſca pellexit, cum eiuſmodi fera cupiditas à natura diuina tam aliena ſit, ut ei nihil magis poſsit eſſe contrarium. Aliquando perduxit eum ad impiam illam opinionem, ut nullum eſſe diceret Deum, ſiquidẽ, ut diuinus

Fac serpentem aeneum, et pone eum pro signo qui percussus aspexerit eum. vivet. 14 Sept. — ab. Num. c. 21.

pater Dauid ait, Dixit insipiens in corde suo non est Deus. Aliquando persuasit, ut multos Deos assereret. Alias, ut ne Illum quidem, qui natura Deus est, coleret. Alias, ut dæmones, ut cœlum, & terram, ut solem, & lunam, & stellas, atque adeo bestias etiam tam in aqua, quàm in terra degentes, ac reliquas res procreatas adoraret. Aeque enim impium est, & debitum dignis honorem negare, & indignis minime conuenientem gloriam tribuere. Itaque ueritas per mediam incedens uiam, omnia, quæ absurda, falsaq; sunt, improbat. Sed ipse ueritatis aduersarius, & humanæ salutis oppugnator, qui dæmonum, qui hominum impiorum, qui uolucrum, qui natantium, & serpentium animalium imagines fieri, eisq́; tanquam Deis honores diuinos tribui, non solum gentibus, sed filiis etiam Israelis fraude sæpenumero persuasit, nunc labiis iniquis, & lingua dolosa diuinis sermonibus malitiam aspergens, & deformem ac tenebrosam illius faciem celare studens, atque infirmorum animos à uera, & à patribus instituta consuetudine abducens, Ecclesiam Dei in pace degentem conatur perturbare. Surrexerunt enim quidam dicentes, ea, quæ pro salute nostra mirabiliter fecit, & pertulit, quæq́; sancti uiri fortiter aduersus Diabolum gesserunt, imaginibus expressa proponi, ut illa contemplemur, colamus,

admiremur, atque imitemur, non oportere. Quis autem diuina cognitione, & spiritus prudentia præditus hanc Diaboli calumniam esse non intelligat, qui nec cladem, ac dedecus suum diuulgari, nec Dei sanctorumque ipsius gloriam aperte perscribi uelit? Erraremus profecto si uel Dei, qui cerni non potest, imaginem faceremus, cum id, quod est corporis expers, quodque nec oculis uidetur, nec circunscribitur, nec figuram habet, effingi nequeat. Impieq; rursum ageremus omnino, si imagines à nobis factas Deos arbitraremur, eisq; tanquam diis honores diuinos tribueremus. Verum neutrum horum facimus. Sed cum Deus propter incredibilem bonitatem suam carnem induerit, eaque uisus sit in terra, & cum hominibus uersatus, naturamq;, & magnitudinem, & figuram, & colorem carnis assumpserit, eius imaginem facientes non erramus. Ipsius enim formam cupimus intueri. Nam, ut D. Apostolus ait, Videmus nunc per speculum & in ænigmate. 1. Cor. 13.
Imago autem speculum est, & ænigma crassæ corporis nostri conditioni conueniens. Licet enim multum laboret mens nostra, ea tamen, quæ corporea sunt, ut Diuus ait Gregorius, Transilire non potest. Tu qui ex te inuidus es, Diabole, inuidia commotus nolles, nos domini nostri similitudinem contemplari, atq;

ita sãctos euadere. Nolles nos salutiferos ipsius cruciatus cernere, summißionemq́; admirari, & res admirandas ab illo gestas uidere, atque diuinitatis eius potentiam collaudare. Inuides sanctis propter honorem illis tributum à Deo. Manifestam eorum gloriam à nobis perspici non uis, ne uirtutem & fidem ipsorum imitemur. Vt ex nostra in illos fide tum corporis tum animi percipiamus utilitatem, ferre non potes. At nos tibi, dæmon inuide, atque hominum hostis, non obtemperamus. Audite, populi, tribus, linguæ, uiri, mulieres, pueri, senes, adolescentes, infantes, gens Christianorũ sancta: si quis Euangelizauerit uobis præter id, quod Ecclesia Catholica à sanctis Apostolis, à patribus, atque conciliis acceptum ad hunc usque diem seruauit, eum ne audiueritis, ne'ue serpentis consilium acceperitis, quemadmodũ fecit Eua, ex quo mortem est assecuta. Licet Angelus, licet Rex euangelizet uobis præter id, quod accepistis, aures occludite. Vereor enim illuc usque progredi, quo progressus est Paulus, anathema, inquiens, sit. nã emendationẽ expecto. At isti, qui scripturę sensum non perscrutantur, sic inquiunt, per Mosem legislatorem dixit Deus: Ne feceris ullam similitudinẽ eorum, quæ sunt in cœlo, quæ'ue in terra. Et per prophetam Dauidem confundantur, inquit, oẽs, qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulacris suis, & alia multa his similia. Quę-

cunq; enim uel ex diuina ſcriptura, uel ex ſanctis patribus protulerint, eodem modo ſunt intelligenda. Quid igitur nos ad hæc? Ecquid aliud, niſi id, quod Iudęis à domino dictum eſt? Scrutamini ſcripturas. Pręclarum enim eſt ſtudium ſcripturarum. Sed hic prudenter animũ aduertite. Deus, Viri chariſsimi, mentiri non poteſt. Vnus enim eſt Deus. Vnus teſtamẽti ueteris auctor, & noui, qui multifariam olim multiſq; modis locutus patribus in Prophetis, extremis tẽporibus in unigenito etiam ſuo locutus eſt filio. Attendite diligenter. Non mea ſunt hæc uerba, ſed ſpiritus ſancti, qui per ſanctum Apoſtolum Paulum dixit: Multifariam multiſq; modis olim locutus Deus patribus in Prophetis. Deum multifariam multiſq; modis locutum uides. Quemadmodum enim peritus medicus nec omnibus, nec ſemper idem medicamenti genus miniſtrat, ſed habita tum regionis, tum morbi, tum temporis, tum ætatis ratione utilem pro ſua cuiq; natura medicinã facit, atque alio quidem modo infantem curat, alio perfectum ætate uirum, alio ægrotantem, alio recte ualentem. Neque uero eadem ratione cunctis ægrotantibus medetur, ſed ad cuiuſque naturam & morbum remedia accõmodat ſua. Et aliud quidem adhibet æſtate, aliud hyeme, aliud uere, autumno aliud. Idemq; facit in ſingulis locis pro uaria regionum diuerſitate. Sic optimus etiam animorum medicus infantibus

adhuc & colendorum ſimulachrorum morbo laborantibus, ſimulachraq́; Deos exiſtimantibus, & diuinos illis honores tribuentibus, Deiq; adorationem reiicientibus, atque gloriam eius ad res procreatas transferentibus interdixit, ne imagines facerent. Dei nanque corpore uacantis, qui nec cernitur, nec ex materia conſtat, nec figuram habet, nec circunſcribitur, nec comprehenditur, imago fieri nulla poteſt. Quomodo enim imagine quod ſub oculorum ſenſum non cadit, effingetur? Deum autem nemo uidit unquam. Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Et nullus uidebit faciem meam, inquit Deus, & uiuet. Quòd autem ſimulachrum pro Deis adorauerint, audi, quid narret ſcriptura in exitu filiorum Iſraelis, quando Moſes aſcendit in montem Sion, & Deo aſsidens expectauit, dum legem acciperet. Quo quidem tempore conſurgens ingratus populus Aaron Dei miniſtrum ſic allocutus eſt: Fac nobis Deos, qui præcedant nos. Homini enim iſti Moſi neſcimus, quid acciderit. Deinde cum mulierum ornatum accepiſſent, atq; conflaſſent, ederunt, & biberunt, & ebrii facti ſunt uino atq; errore, & præ ſtultitia dixerunt. Hi ſunt dii tui Iſrael. Vides eos pro diis ſimulacra coluiſſe? Neque enim Iouis, aut huius, illius'ue certæ cuiuſpiam rei ſimulacrum ut fieret, aurum dederunt; ſed quicquid forte cōtigiſſet, atq; ita exiit effigies bouis. Simulacra

igitur, quæ nihil aliud sunt, nisi quędā dæmonū domicilia, pro diis habebant, & adorabāt. Nam ꝙ rei procreatæ potius, ꝗ procreatori deseruirent, Diuus ostēdit Apostolus, Qui mutauerūt, inquiens, gloriā incorruptibilis Dei in similitudine corruptibilis hominis, & uolucrū, & quadrupedū, & serpentium, & seruierunt creaturæ potius, ꝗ creatori. Iccirco Deus, nequa similitudo fieret, prohibuit. Noui, qui sine mendacio locutus est, dominus, inquiens, tuus dominus unus est. Et, dominū Deum tuū adorabis, & illi soli serues. Et, nō erunt tibi alii dii. Et nō facies sculptile, similitudinē ullam eorū, quæ in cœlo, quæ'ue in terra sunt. Et confundantur oēs, qui adorant sculptilia. Et, Dei, qui cœlum, & terrā nō fecerunt, intereant. Et quæcunq; ad eundē modū olim Deus locutus patribus, in nouissimis diebus locutus est nobis in unigenito filio suo, per quē fecit & secula. Noui eū, qui dixit: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uiuentem & uerum Deum, & quē misisti Iesum Christum, & credo in unū Deum, unū rerum omniū principiū, principio, interituq; carentē, & immortalem, æternū, & sempiternū, qui nec cōprehendi potest, & corpore uacat, & uideri, circunscribiq; nō potest, & figurā habet nullā. Essentiam unam omni essentia superiorem, Diuinitatem omni præstantiorem Diuinitate, tribus in personis, patre, & filio, & spiritu sancto consistentem. Huic soli deseruio:

Rom. 1.

Huic ſoli latriæ cultum exhibeo. Vnum Deũ adoro, Diuinitatem unam, ita tamen, ut Trinitatem adorem perſonarum, nempe Deum patrem, & Deũ filium carnem indutum, & Deũ ſpiritum ſanctum, non tres Deos, ſed unum, nõ tres diuinitate diſtractas, ſed coniunctas perſonas. Nõ tres adorationes exhibeo ſed unam. Non unicuique perſonæ ſigillatim, & unico Deo, ſed tribus perſonis coniunctim, ut uni Deo unam tribuo adorationem. Non adoro rem procreatã omiſſo procreatore, ſed adoro procreatorem, procreatum, quantum pertinet ad humanitatem, ad quã procreatam nihil ſuæ dignitatis amittens, aut deſtruens ſeſe demiſit, ut naturam meã cohoneſtaret, naturæq́; diuinæ participem faceret. Adoro ſimul cum Rege & Deo purpuram corporis, non tanquam indumentum, aut quartam perſonam, abſit, ſed ut quæ ſimul etiam ipſa Deus declarata ſit, & id effecta, quod ille eſt, qui illam unxit, ſine immutatione. Neque enim carnis natura diuinitas facta eſt, ſed quemadmodum uerbũ ſine mutatione caro factum eſt, manens id, quod erat, ſic & caro uerbum facta eſt, nõ amittens id, quod erat, ſed potius idem cũ uerbo per perſonam effecta. Quamobrem audacter effingo imaginem inuiſibilis Dei, qui propter nos carnis & ſanguinis particeps factus eſt. Non inuiſibilem exprimo diuinitatem imagine, ſed Dei carnem exprimo, quę oculis perſpecta eſt. Nã ſi imago

animi

animi fieri nequit, quanto minus is, qui animo dedit, materiæ ut expers foret? At Deus, inquiunt, per Mosem legislatorem dixit: dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et ne feceris similitudinem ullam eorum, quæ in cœlo sunt, aut in terra. Fratres, uere falluntur isti, qui nesciunt literam occidere, spiritum autem uiuificare, Qui spiritum sub litera absconditum non inuestigant. Quos ego merito sic alloqui possim. Qui uos hoc docuit, doceat illud etiam, quod sequitur. Discite, quomodo interpretetur id legislator, qui in Deuteronomio loquitur ad hunc modum: Et locutus est uobis dominus de medio ignis. Vocē uerborū uos audistis, & similitudinem non uidistis, sed uocem tantum. Et paulo post; & custodite sollicite animas uestras, quia similitudinem nō uidistis in die, qua locutus est dominus ad uos in Horeb in monte de medio ignis, nequando inique agatis, & faciatis uobis ipsis sculptam similitudinem, omnem imaginem, similitudinē masculi, aut fœminæ, similitudinem omnium iumentorum, quæ sunt in terra. Similitudinem omnis uolucris pennatæ, & quæ sequuntur. Et paulo post, nequando suspiciens in cœlum, & solem, & lunam, & stellas, & omnem cœli ornatum intuens, errore deceptus adores ea, & seruias illis. Animaduertis unum illud esse propositum, ne posthabito procreatore adores ea, quæ procreata sunt, neue latriæ cultū cuipiam

tribuas, nisi uni rerum omnium opifici Deo? Iccirco enim passim adorationi latriæ cultum adiungit. Et alibi non erunt, inquit, alii Dei preter me. Ne feceris tibi sculptam ullam similitudinem. Ne adoraueris ea, ne'ue latriæ cultũ illis attribueris, quoniam ego sum dominus
Deu. 7. Deus uester. Et alio loco, aras, inquit, eorum subuertetis, & cõfringetis columnas ipsorum, & simulachra Deorum ipsorum igne combu retis. Deum enim alium non adorabitis. Et paulo post, Et deos conflatiles non facies tibi. Vides, quomodo uitandi simulachrorum cultus gratia imagines fieri uetet? Nec fieri posse, ut Dei, qui nec quantitatem habet, nec circunscribi, aut perspici potest, effigies exprimatur? Neque enim formam, inquit, eius perspexistis.
Deu. 4. Quemadmodum & Paulus in medio stans Areopagi, Genus igitur, inquit, Dei cũ simus, non debemus existimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis diuinum esse simile. Iudæis igitur, quoniam ad simulachra colenda erant propensiores, hæc iussa sunt. Nos autem, quibus, ut theologice loquar, datum est, ut superstitiosum errorem fugientes, & ueritatem cognoscentes pure cum Deo uersemur, eiq; soli seruiamus, & perfectas diuinæ notitiæ diuitias assequamur, infantiamq; prætereuntes in uirum perfectum euadamus, non sumus amplius sub pædagogo, quippe qui discernendi uim atq; habitum â Deo con-

ſecuti, ſciamus, quid imagine exprimi poſsit, quid non poſsit. Lex enim pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, ut ex fide efficeremur iuſti. Et ſub elementis eramus ſeruientes, cum eſſemus infantes. Sed poſteaq̃ fides aduenit, non ſumus amplius ſub pędagogo. Non enim formam, inquit, ipſius uidiſtis. Quis legiſlatoris ſapientiam nõ admiretur? Quomodo enim illius imago, qui ſub aſpectum non cadit, explicabitur? Quomodo illius effigies, qui nullam habet effigiem, exprimi poterit? Quomodo is, qui & quantitate, & magnitudine uacat, & nullo termino cõcluditur, effingetur? Quomodo illius, qui forma caret qualitas adumbrabitur? Quomodo qui corporis eſt expers, coloribus deſcribetur? Quænam igitur hic arcana ratio? Ea nimirum, ut cum uideris illum, qui corpore uacat, propter te factum eſſe hominem, tunc humanæ illius formæ ſimilitudinem efficias. Cum is, qui cerni non poteſt, carnem indutus ſe conſpicuum prębuerit, tunc illius imaginem exprimas. Cum igitur is, qui propter naturæ præſtantiam & corpore, & figura, & quãtitate, & qualitate, & magnitudine caret, in forma DEI exiſtens ad quantitatem qualitatemq; forma ſerui ſuſcepta ſeſe cõtraxerit, & corporis formam induerit, tunc eum in tabula coloribus exprime, conſpiciendumq; propone, qui ſe conſpici uoluit. Incredibilem eius demiſsionẽ explica. Ortũ illius è uirgine, baptiſma in Ior-

dane, transformationem in monte Thabor, cruciatus illos, ac mortem, quæ uitæ, atque immortalitatis nostræ causa fuit, res admirandas carnis ministerio, sed ui diuina confectas, quæ diuinam ipsius uim indicabant, describe. Crucẽ illam salutarem, sepulturam, resurrectionem, ascensum in cœlum, hęc omnia & uerbis, & coloribus tum in libris, tum in tabulis depinge. Non facies, inquit, tibi sculptile, neque omnem similitudinem. Cum hæc Deus præcepisset, fecit, inquit, uelum tabernaculi ex hyacintho,
Exo. 37. & purpura, & coccino filato, & bysso retorta,
Hebr. 9. opus contextum, Cherubim, & fecit propitiatorium ex auro puro, & duo Cherubim super arcam. Quid agis Moses? Tu, qui dicis, Ne feceris tibi sculptile, neque ullam similitudinem, uelum conficis, opus contextum, Cherubim, & duo Cherubim ex auro puro? Verum audi, quid tibi reipsa minister Dei Moses respondeat. O cœci, & stulti, uim eorũ, quæ dicuntur, attendite, & animas uestras sollicite custodite, Dixi, uos similitudinem non uidisse in die, qua locutus est uobis dominus in Horeb in monte de medio ignis, ne quando delinquatis, & faciatis uobis ipsis sculptam similitudinem. Omnem imaginem, & Deos conflatiles, ne feceris tibi. Non dixi, ne feceris imaginem Cherubim, ut seruorum asistentium propitiatorio, sed ne feceris tibi Deos conflatiles, & ne feceris ullam similitudinem tanquam deos, & ne ado-

raueris res procreatas omisso procreatore. Itaque Dei similitudinem nõ feci, neque alterius tanquam Dei, neq; hominis, quando humani generis natura peccato tanquã serua subiecta erat, neque rem procreatam potius, q̃ procreatorem adoraui. Sed omnis rei procreatæ similitudinem tabernaculum construxi secundum exemplar, quod mihi in monte demonstratum fuit, & Cherubim obumbrantia propitiatoriũ, tanquam Deo ministrantia. Vidisti, quomodo scripturæ propositum prudenter inuestigantibus patefactum sit? Sciendum est enim, uiri charissimi, illud in omni disputatione quæri, ut quid uerum, falsum'ue sit, & quo quisque consilio aliquid fecerit, hoc est, bono'ne, an malo, intelligatur. In Euangelio quidem & Deus, & Angelus, & homo, & terra, & aqua, & ignis, & aër, & sol, & luna, & stellę, & lux, & tenebrę, & Satanas, & dæmones, & serpentes, & scorpiones, & uita, & mors, & infernus, & uirtutes, & uitia, & omnia denique bona, atque mala descripta sunt, eo sanè consilio, ut cum omnia, quæ de iis dicuntur, uera sint, ad gloriam Dei, & sanctorum, quos ipse claros & celebres esse uult, & ad salutem nostram euersionemq; atq; ignominiam Diaboli, ac dæmonum eius referantur. Quamobrem ea nos adoramus, & colimus, & osculamur, & oculis, & labris, animoq; cõplectimur. Eodemq; modo in uetus omne, nouumq; testamentum, & sermones sanctorũ

probatorumq; patrum affecti sumus. At turpem,& execrabilem, atque impuram detestabilium Manichæorum scripturam ad Diaboli ac dæmonum eius gloriam,& animorum perniciem inuentam, licet eadem uocabula contineat,reiicimus, atque improbamus. Sic etiam cum de imaginibus agitur faciendum est, ut ueritatem inquiramus,& mentem eorum, qui illas faciunt, spectemus. Vt si uera rectaq; sit, & imagines ad gloriam Dei,& sanctorum eius, ad amplectendas uirtutes,fugiendaq; uitia,atq; animorum salutem referantur,eas ut exempla, & similitudines,& hominũ rudium atque simplicium libros ac monumenta complectamur, atque ueneremur. Ac Dei quidem ut carnem induti,& matris,atque sanctorum ipsius,ut qui cruciatuum & gloriæ Christi socii, diaboliq; ac dęmonum uictores,fraudumq; ipsorum depulsores extiterint, imagines & oculis, & labris, & animo complectentes omni amore & cultu prosequamur. Quòd siquis diuinitatis, quę à materia & corpore remotissima nec cerni potest,nec figuram,aut colorem habet,imaginem audebit effingere, eam ut falsam repudiabimus. Si ad gloriam, & cultũ,honoremq; diaboli, aut dæmonũ effecta sit,despiciendam, atque igne comburendam censemus. Si quis imaginẽ hominum, aut uolucrum,aut serpentium alius'ue rei procreatæ coluerit tanquam Deum, hunc ab Ecclesiæ communione reii-

ciendum iudicamus. Sicut enim sancti patres sacrificia, templaq; dæmonum euerterunt, & in eorum locis templa sanctorum nomini dedicarunt, quæ nós colimus, sic & imagines dæmonum sustulerunt, & earum loco Christi, & Dei genitricis & sanctorum imagines constituerunt, quę ueneramur. Atque in ueteri quidẽ testamento Israelitæ neque templa hominum nomini consecrabant, neque memoriam hominis celebrabant, adhuc enim execrationi obnoxia erat natura humana, & mors erat suppliciũ & mulcta. Itaque deplorabatur, & qui mortui cadauer attigerat, putabatur immundus. Nunc autem natura nostra, ex quo diuinitas illi tanq̃ medicamentum quoddam uitam atque salutẽ afferens coniuncta est, gloriosa euasit, & ad incorruptionem accipiendam idonea. Quare sanctorum mors annuis laudibus celebratur, & templa illis construuntur, & imagines fiunt. Proinde qui imaginem ad Christi, aut matris eius Dei genitricis, aut alicuius sanctorum gloriam, & memoriam, diaboliq;, & dæmonum ipsius ignominiam, & detrimentũ, diuino studio atque ardore confectam euertere conatur, ac non potius adorare, & colere, ac uenerari studet, ut rem honore dignam, non autem ut Deum, hunc Christi, & sanctæ Dei genitricis, atque sanctorum hostem, diaboliq; ac dęmonũ eius defensorem omnes homines esse non dubitent, quippe qui reipsa præse ferat dolorem

suum, quem ex eo percipit, quòd Deus, & sancti eius honore, & gloria afficiuntur, & diabolus ignominia. Imago enim triumphus est, & indicium, ac monumentum, quod eorum, qui se strenue, fortiterq; gesserunt, uictoriæ memoriam, quodq; dæmonum, qui uicti profligatiq; sunt, ignominiam, & dedecus testatur. Vidi sæpe qui amici desiderio tenerentur, pallium eius non aliter, q̃ si amicum ipsum cernerent, oculis, & ore suauiari. Omnibus, ex sancti Pauli Apostoli sententia, quę debentur, oportet reddere, honorem exempli gratia, cui debetur honor. Ac Regi quidem ut excellenti, præfectis autem, ut ab eo missis, pro sua singulis dignitate. Vbi'nam in ueteri testamẽto, aut in Euangelio Trinitatis nomen, aut homousium, hoc est, eiusdem essentiæ, siue consubstantialem, aut unam diuinitatis naturã perspicue, aut tres personas aperte uerbis expressas, aut unã Christi personam, duasq; naturas dilucide uerbis item explicatas inuenisti? nusquam omnino. Attamen quoniam ex uerbis eandẽ uim obtinentibus, quę scriptura continet, à sanctis patribus hæc præfinita sunt, ea suscipimus, & qui secus faciunt, eos à communione societateq; nostra repellimus. Ego autem ostendam tibi, Deum in ueteri testamento præcepisse, ut imagines fierent. Iussit enim tabernaculum construi, & quæ in eo sunt omnia. In Euangeliis autem dominus iis, qui tentantes eum quære-

bant, liceret'ne Cæsari cēsum dari, afferte mihi, inquit, numisma census. Cumq; denariū ostendissent, quæsiuit ex illis, cuius imaginem contineret, respondentibus autem, Cæsaris, reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Quoniam Cęsaris habet imaginem, Cæsaris est, & reddite Cæsari. Et imaginem Christi reddite Christo, quia Christi est. Christus beatos appellās discipulos, Multi Reges, inquit, & Prophetæ cupierunt uidere, quæ uidetis, & non uiderunt: & audire, quæ auditis, & non audiuerunt. Vestri autem beati oculi, quia uident, & aures, quia audiunt. Christum igitur corpore præsentem, & res admirabiles ab illo gestas uiderunt Apostoli, & sermones eius auscultarunt. Nos item uidere cupimus, & audire, & beati esse. Præsentem illi corpore præsentes aspexerunt. Nos autem quia corpore nō licet, quemadmodum ex libris sermones eius accipimus, audituq;, & per auditum animo sancti beatiq; efficimur, & libros, ex quibus illius sermones haurimus, omni honore, cultuq; prosequimur: Sic etiam ex pictis imaginibus & corporeæ ipsius formæ effigiem, & quæ mirabiliter gessit, quæq; pertulit, conspicientes sancti reddimur, gaudio, lętitiaq; cumulamur, & beati efficimur, & corpoream eius figurā colimus, & adoramus. Corpoream autem eius figuram intuētes, Diuinitatis etiam ipsius gloriā, quoad fieri potest, animo cogitationeq; cōplectimur.

Nam cũ duplices ſimus, quippe qui nõ animo nudo, ſed ex animo corporeq; conſtemus, animus enim corpore tanquam uelo quodam obtegitur, non poſſumus ſine rerũ corporearũ auxilio ad eas, quæ intelligentia & mente comprehenduntur, peruenire. Vt ergo uerba ſenſibus accommodata corporeis auribus audimus, & quæ ſpiritalia ſunt intelligimus, ſic etiã obtutu corporeo ad ſpiritalem contemplationem aſpiramus. Propterea corpus & animum Chriſtus ſuſcepit; quoniam homo corpus & animũ habet. Propterea duplex etiam eſt baptiſma, ex aqua nimirũ, & ſpiritu, & cõmunio, & precatio, & decantatio Pſalmorum, & lumẽ, & thus duplicia ſunt. Verum cæteris omnibus omiſsis in ſolas imagines Diabolus impetum fecit. In has enim quanta exarſerit inuidia ex libro ſancti Sophronii Hieroſolymorum Patriarchæ, quod pratum inſcribitur, intelligi poteſt, in quo ex Abbatis Theodori Aeliotæ ſermone memoriæ proditum eſt: Fuiſſe in monte oliuarum ſtrenuum quẽdam ſenem incluſum, quem libidinis Dęmon oppugnabat. Hic cum die quodam acrius urgeretur, conqueri cœpit, & alloqui dæmonẽ ad hunc modũ: Ecquando tandem me deſines inſectari? Recede iam à me, quem ad ſenectutem uſque perſecutus es. Cui dæmon ſeſe oculis eius perſpicuum exhibens, iura, inquit, mihi te nemini narraturũ id, quod dicturus ſum tibi. Quòd ſi feceris te amplius nõ

oppugnabo. Senex autem per eum, qui in excelsis habitat, iurauit, nulli patefaciam, inquiēs, quod mihi dixeris. Tunc dæmon, hanc, inquit, imaginē ne adoraueris, & ego posthac tecum bellum non geram. Imago autem illa dominæ nostræ sanctæ Mariæ Dei genitricis dominum nostrum Iesum Christum gestantis effigiem continebat. Vide, quem imitentur, & cuius ministri sint isti, qui prohibent imagines adorari. Certe libidinis dæmon maluit, ne senex dominæ imaginē adoraret, quàm ut in libidinis immundum crimen incideret, illud esse peccatum grauius sciens. Ceterum quando nobis de imaginibus, deq; adoratione institutus est sermo, hęc latius persequentes dicamus primum, quid sit imago. Deinde quamobrem sit constituta. Tum quot sint imaginum genera. Mox quæ possint, quæ'ue non possint imaginibus exprimi. Postremo quis imaginum author extiterit. Itidem de adoratione uideamus primum quid sit adoratio, deinde quot adorationis sint genera. Postea quam multa sint, quæ in scriptura inuenimus adorata. Ad hæc ostendamus omnē adorationem propter illum, qui natura Deus est, esse constitutam. Postremo autem honorē, qui habetur imaginibus, ad ipsum exemplar peruenire. Imago igitur est similitudo, & exēplum, atq; effigies, quę illum in se, cuius imago est, exprimit. Neque tamen imago partibus omnibus exemplari, hoc est, rei, quam ipsa

refert,similis eſt. Aliud enim imago eſt,aliud id, quod imago repręſentat. Hac enim ex re prorſus diſcrimen apparet,quòd aliud eſt hoc,aliud eſt illud. Exẽpli gratia,Hominis imago,quãuis corporis effigiem exprimat, animi tamen non habet facultates,neque enim uiuit,nec ratione, aut oratione, aut ſenſibus utitur, nec membra mouet. Quin etiã filius,qui naturalis eſt imago patris, ab eo tamen aliqua re diſcrepat, filius enim eſt,non autem pater. Fiunt autem imagines, quo res occultas aperiant, atque indicent. Nam quia homo rerum,quæ ſub aſpectum nõ cadunt, nudam cognitionem non habet, quòd animus corpore contegitur: Nec earum, quæ poſt ipſum ſunt euenturæ, quæq́; locorum interuallo diſtant atque abſunt, quippe qui loco & tempore circunſcribitur, Iccirco imagines inuentæ ſunt, quæ nobis ad rerum occultarum demonſtrationem atque notitiam tanquam itineris duces aditum patefacerent. Prorſus autẽ ad utilitatem,& beneficium, ac ſalutẽ noſtram pertinet, ut rebus notatis atque deſcriptis ea, quæ nos latent,intelligamus, cupiamusq́;, atq́; imitemur,quæ recta ſunt, contraria uero declinemus, & odio proſequamur. Sed imaginum multa ſunt genera. Primũ enim eſt imago naturalis. Omnibus enim in rebus, prius eſſe neceſſe eſt id,quod natura conſtat,deinde id,quod arte imitationeq́; conficitur. Vt homo prius naturalis exiſtat oportet,quem deinde ars imi-

tando exprimat,& effingat. Prima ergo naturalis & certiſsima imago Dei inuiſibilis eſt filius patris,in ſe ipſo patrem oſtendens, Deum enim nemo uidit unquam,non quòd patrem ullus unquã uiderit. Iam quòd filius ſit imago patris,Apoſtolus indicat,qui eſt inquiens,imago inuiſibilis Dei. Et ad Hebræos ſcribens, Qui cum ſit, inquit, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Nam quòd in ſe ipſo patrem oſtendat, ex Ioãnis Euangelio intelligi poteſt, ubi cum Philippus dixiſſet, oſtende nobis patrem,& ſufficit nobis,reſpõdit dominus; Tanto tempore uobis'cum ſum,& non cognouiſtis me, Philippe? Qui uidit me, patrem uidit.Eſt filius imago patris naturalis certiſsima, in omnibus patri ſimilis,præter id,quòd ipſe nec ingenitus, nec pater eſt. Pater enim eſt genitor ingenitus, filius autem genitus,& non pater. Spiritus autem ſanctus eſt imago filii.Nullus enim poteſt dicere dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto.Itaque per ſpiritum ſanctum cognoſcimus Chriſtum Dei filium,& Deum.Et in filio patrẽ aſpicimus. Cogitationis nuntius eſt ſermo,ſermonis autem index ſpiritus eſt. Similis uero atque certiſsima imago filii eſt ſpiritus ſanctus, ea ſolum re differens, quod procedit. Filius enim genitus eſt,ſed nõ procedit. Ac patris quidem cuiuſq; filius imago ipſius eſt naturalis. Et hoc primum eſt imaginum genus naturale. Alterum genus eſt notio illa, quæ in

Deo eſt rerum futurarum, nempe conſilium eius ęternum, quod ſemper habet eodẽ modo. Deus enim immutabilis eſt, & conſilium eius principio caret. Quo quidem conſilio, quę ipſe ab æternitate conſtituit, tẽpore fiunt præfinito. Notiones enim ſeu præfinitiones rerum ſingularum in Deo, ſic enim eas ſanctus Dionyſius nominat, ſunt imagines & exemplaria eorum, quę ab ipſo ſunt profectura. In eius enim conſilio expreſſæ continebantur formæ atq; imagines rerum antequam fierent, quę quidem ab ipſo præfinitæ & ſine dubitatione erant futurę. Tertium eſt imaginũ genus, quod imitatione à Deo factum eſt, nimirum homo. Quomodo enim qui creatus eſt, eiuſdem naturæ ſit cũ eo, qui creatus non eſt, niſi per ſimilitudinem & imitationem? Sicut enim pater qui eſt mens, & filius qui eſt uerbum, & ſpiritus ſanctus ſunt unus Deus, ſic mens, & uerbũ, & ſpiritus unũ hominem conſtituunt. Similitudo in eo item apparet, quòd homo libera preditus eſt uoluntate, quodq́; imperandi facultatẽ obtinet. Dicit enim Deus: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ſtatimq́; ſubiicit: Et præſit piſcibus maris, & uolatilibus cœli. Rurſumq́;: Et dominamini, piſcibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuerſæ terræ, & ſubiicite eam. Quartum imaginum genus eſt ſcripturæ, quæ figuras, & formas, exemplaq́; rerum, quæ ſub aſpectum nõ cadunt, & corporis expertes ſunt.

corpore expressa corporeis oculis subiicit, ut aliquam licet obscuram Dei atq; Angelorum notitiam habeamus, quia sine figuris humanæ conditioni cōuenientibus res corpore figuraq; carentes intueri nō possumus, quemadmodum Dionysius ille Areopagita diuinis in rebus explicandis exercitatissimus dicit. Quòd enim merito rerū forma figuraq; carentium formæ figuræq; propositæ sint, non eam quis solam dixerit causam extitisse, ut nostræ conditionis ratio haberetur, quæ sine medio non potest ea, quæ mente solum & intelligentia comprehenduntur, contemplari, egetq; propriis, sibiq; natura coniunctis auxiliis, quibus subleuetur. Quòd si diuina scriptura cōditionis nostræ habita ratione undiq; colligit ea, quæ nobis congruentia aptaq; sint, & rebus simplicibus formaq; carentibus, formas quasdam accommodat, cur imaginibus ea non exprimat, quæ ex natura sua proprias figuras ac formas habent, quæq; cum eorum desiderio teneamur, quia non adsunt, à nobis uideri non possunt? Mens quidem nostra, quemadmodum ait Gregorius ille diuina insignis eloquentia, quāuis multum laboret, ea tamen, quæ corporea sunt, omnino transilire non potest. Quin etiā inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Videmus preterea imagines in rebus procreatis, quæ nobis obscuras rerum diuinarum significationes præbent. Vt cum dicimus, Sanctam

omniq; principio ſuperiorem Trinitatem per ſolem, & lucem, & radium declarari: Aut per fontem ſcaturientem, & riuum è fonte emanantem, & fluentum. Aut per mẽtem, & rationem, & ſpiritum noſtrum. Aut per roſæ plantam, & florem, & odoris ſuauitatem. Quintum imaginis genus dicitur, quo futura præmonſtrantur, & ante deſcribuntur. Cuiuſmodi eſt rubus, & pluuia ſuper uellus cadens, quæ uirginem & Dei genitricẽ præſignificabãt, itemq; uirga, & urna, cuiuſmodi etiam æneus ille ſerpens, qui eos, qui morſum ſerpentis malorum authoris per crucem delent: Et mare, quod aquam Baptiſmatis: & nubes, quæ eiuſdem ſpiritum prænuntiabant. Sextum imaginum genus eſt, quod pro eorum quæ mirabiliter, aut ex uirtute geſta ſunt, memoria cõſeruanda ad gloriam, & honorem, & monumentũ illorũ, qui ſtrenue ſe geſſerunt, & in uirtutibus excolendis excelluerunt: quodq; pro notandis uitiis, tanquam triumphus, & ignominia peſsimorum hominum ad poſterorum utilitatem, quo uitia fugiant & uirtutes imitentur, ſpectandum proponitur. Verum hoc duplex eſt. Aut enim literarum monumentis, quæ orationis munere funguntur, in libris inſcribitur, ut cum legem Deus in tabulis inſculpſit, cumq; uitas hominum, qui ipſi Deo chari fuiſſent, literis & memoriæ commendari iuſsit. Aut oculis ipſis ſpectandum ſubiicitur, ut cũ urnam, & uirgam

in arca poni iussit ad memoriam sempiternã. Cumq; præcepit, ut duodecim tribuũ nomina in lapidibus superhumeralis inscriberẽtur, duodecimq; lapides ex Iordane sumerentur, qui sacerdotum notam & figuram significarent. O mysterium admirabile. Vt maximum fidelibus fuit in ueritate arcam capientibus, etiam cum aqua defecisset, sic & nunc uirorum uirtute præstantium imagines, quæ nos moneant, & ad imitandum, & æmulandum incitent, studiose conficimus. Aut igitur omne genus imaginũ tolle, & ei, qui fieri illas iussit, aduersare, aut unumquodq; pro ratione & modo cuiq; conueniente cõplectere, corporum & earum rerum, quæ figuras, circunscriptionesq; corporeas & colorem habent, imagines effinguntur, Angelus autem, & animus, & Dæmon, licet corporea crassaq; ratione nõ constent, ratione tamen naturæ ipsorum congruente suas habẽt figuras & circunscribuntur. Etenim cũ mente tantum intelligantur, in locis item, quæ mente duntaxat intelliguntur, ratione, quæ mente solum intelligitur, creduntur adesse atque agere, Quemadmodum igitur Moses effinxit Cherubim, & quemadmodũ sese ipsa conspicienda hominibus dignis præbuerunt, corporeis imaginibus sic effinguntur, ut ex imagine corporea contemplatio quædam animo conueniens ostendatur. At natura diuina sola est incomprehensa, & nullam prorsus figuram habet, nec

percipi potest. Ac tametsi diuina illi scriptura formas corporeas tribuat, ut tanquam figuræ perspiciantur, tamẽ etiam illæ sunt incorporeę. Nam prophetæ, & qui illas uidebãt, neq; enim omnibus patefiebant, eas non corporis, sed mentis oculis contemplabantur. Denique ut plane & simpliciter loquar, omnium figurarũ, quas uidimus, imagines facere possumus: Has autem, ut à nobis perspectæ sunt, cogitatione complectimur. Quanquã enim ratione & animo etiam figuras aliquando cogitamus, ad earum tamen cognitionem ex iis, quas uidimus, peruenimus. Idemq; fit in singulis sensibus, ut ex iis, quæ uel odoratu, uel gustu, uel tactu percepimus, ratione ad horum cognitionem accedamus. Constat igitur nec Dei, nec Angeli, nec animi, nec dæmonis naturam oculis cerni posse, qui tamen in figuræ quadam adumbratione spectantur, diuina prouidẽtia formas figurasq; rebus corpore, forma, figuraq; carentibus tribuente, quo nos ad crassam et singularẽ ipsarũ cognitionem perduceret, ne in omni prorsus Dei, rerumq; procreatarum corporis expertium ignoratione uersaremur. Deus enim natura est corporis expers omnino. Angelus autẽ, & animus, & dæmon, si cum Deo quidem, cui nihil conferri potest, cõparentur, corpora quodammodo sunt, sin autem cum corporibus ex materia constantibus, à corpore sunt remotissimi. Itaque cum Deus ea nollet nos ignorare,

quæ corporis sunt expertia, pro naturæ nostræ ratione formas, & figuras, & imagines quasdã illis adhibuit. Figuras, inquam, corporeas, quę mentis oculis materia carentibus spectantur, quas quidē nos imaginibus exprimimus. Alioquin quomodo Cherubim potuissent effingi, atque imaginibus exprimi? Quid? quòd scriptura Dei figuras & imagines continet? Ipse Deus primus unigenitum filium & uerbum suum genuit, imaginem suam uiuam, naturalem, incõmutabilem figuram æternitatis suæ. Hominem præterea fecit ad imaginem & similitudinem suam. Et Adam uidit Deum, & audiuit strepitũ pedum ipsius deambulantis post meridiem, & abscõdit se in Paradiso. Et Iacob uidit, & luctatus est cum Deo. Perspicuum est autem, Deum se illi conspiciendum ut hominem præbuisse. Et Moses tanquã hominis posteriora perspexit. Et Esaias tanquam hominem uidit in solio sedentem. Et Daniel hominis uidit similitudinem, & tanquam hominis filium uenientem ad senem dierum. At Dei nemo naturam uidit, sed formam & imaginē eius, qui erat futurus. Filius enim, quod Dei uerbum est inuisibile, uere futurus erat homo, ut naturæ nostræ coniungeretur, & cerneretur in terra. Figuram igitur omnes, & imaginem futuri conspicientes adorauerunt, quemadmodum in Epistola ad Hebræos scripta Paulus ait Apostolus, Iuxta fidem, inquiens, defuncti Heb. 11.

ſunt omnes iſti non acceptis promiſsionibus, ſed longè eas aſpicientes & ſalutantes. Ego'ne igitur non faciam imaginem eius, qui natura propter me uiſus eſt carne? Ipſum ego nõ adorabo & colam adorationẽ & cultu, quo proſequor eius imaginem? Vidit Abraham, nõ Dei naturam, Deum enim nemo uidit unquam, ſed imaginem Dei, & proſtratus adorauit. Ieſus Nauæ filius non Angeli naturam, quæ corporeis oculis cerni nõ poteſt, ſed imaginem uidit, & proſtratus adorauit. Itidem fecit Daniel. Angelus autem non eſt Deus, ſed res à Deo procreata, Deiq; ſeruus & miniſter. Quare non ut Deum, ſed ut qui Deo aſsiſtat, ac miniſtret, adorauit. Quæ cum ita ſint, cur ego amicorum Chriſti non faciam imagines, easq; colam & adorem, non tanquam Deos, ſed ut imagines amicorum Dei? nec Ieſus, nec Daniel Angelos â ſe conſpectos ut Deos adorauerunt: neque ego tanquam Deum imaginem adoro, ſed per imaginem, perq; ſanctos adorationẽ Deo atq; honorem exhibeo; propter quem & amicos eius ueneror & colo. Non Angelorum, ſed hominum naturæ coniunctus eſt Deus. Non Angelus factus eſt Deus, ſed Deus natura & ueritate factus eſt homo. Neq; enim unquam Angelos aſſumpſit, ſed ſemen Abrahæ. Dei filius per perſonam, non Angelorum, ſed hominum natura factus eſt. Non diuinæ naturę participes & ſocii facti ſunt Angeli, ſed actionis & gratiæ.

Homines uero participes & socii fiunt naturæ diuinæ, quicunque sanctum Christi corpus sumunt, & pretiosum eius sanguinē bibunt. Per hypostasim enim, siue personam diuinitati coniunguntur. Duæq; naturæ in Christi corpore, quod à nobis sumitur, persona coniunctæ sunt sine distractione. Itaque duplicis naturæ participes efficimur, corporis, ratione corporea, diuinitatis autem, ratione spiritali. Immò uero utriusque per utranque rationem. Non secundum personam idem sumus, quippe qui cum prius essemus, postea coniuncti fuimus, sed per corporis & sanguinis concretionem. Cur non igitur maiores Angelis sint, qui synceram hanc coniunctionem mandatorū obseruatione tuentur atque conseruant? Natura quidem nostra propter mortem & crassam corporis constitutionem est Angelis minor, sed benignitate coniunctioneq; Dei maior Angelis facta est. Assistunt enim Angeli cum timore & tremore humanæ naturæ in gloriæ solio per Christum insidenti. Et in iudicio trementes astabunt. Non confidentes, neque diuinæ gloriæ socii à scriptura diuina dicti sunt. Sunt enim omnes, spiritus ministrantes, in ministerium missi propter eos, qui salutis hæreditatem sunt accepturi. Nō regnabunt simul, nec gloria simul afficientur, neque in patris mensa cōsidebunt. Sancti uero homines sunt filii Dei, sunt regni filii, hęredesq; Dei, & Christi cohęredes. Proinde sanctos ego

ueneror, gloriaq; simul afficio, atq; concelebro seruos, & amicos, & cohæredes Christi. Seruos quidem natura, amicos autem electione, filios uero, & hæredes diuina gratia, quemadmodum dominus patrem alloquens dixit. Cum igitur de imaginibus locuti simus, de adoratione etiã uerba faciamus, primumq; uideamus, quid sit adoratio. Adoratio est animi cedentis, id est summissi, atque humilis significatio. Adorationis autem genera sunt complura. Primum genus est, quod per latriam, quam soli deo natura adorando tribuimus, exhibetur, idq; uariis modis. Nam uel seruitutis gratia fit. Adorant enim Deum omnes res procreatæ, ut dominũ serui. Quoniam, inquit, omnia seruiunt tibi. Ac partim quidem uolentes, partim inuiti. Etenim alii Deum cognoscunt, & adorant eum libenter, ut homines pii. Alii cognoscunt, & contra uoluntatem adorant illum inuiti, ut dæmones. Quidam eum, qui natura Deus est, ignorantes, adorant inuiti, quem ignorant. Secundum adorationis genus est, quod admiratione desiderioq; compulsi præstamus, atque hoc quidem modo Deum propter naturalem ipsius gloriã adoramus. Solus enim gloriosus est, non quod ab ullo gloriam acceperit, sed quoniam ipse fons & causa est totius gloriæ, atq; omnis boni, lux incomprehensa, incredibilis dulcedo, immensa pulchritudo, bonitatis abyssus, imperuestigabilis sapientia, uirtus omni uirtute præ-

ſtantior, ſolus per ſe dignus, quē omnia admirentur, adorent, collaudent, concupiſcant. Tertium adorationis eſt genus, cum pro beneficiis in nos collatis gratias agimus. Res enim uniuerſæ Deo gratias debent agere, & perpetuam illi adorationem tribuere, quoniam à Deo habent ut ſint, in ipſoq; conſiſtunt, & omnibus etiam non poſtulantibus abunde munera ſua dilargitur. Et omnes uult ſaluos fieri, ſuæq; benignitatis eſſe participes. Et nos peccantes patienti animo expectat, ut reſipiſcamus. Et ſolem ſuum oriri facit ſuper iuſtos & iniuſtos. Et pluit ſuper malos & bonos. Et quia filius Dei propter nos factus eſt, quales nos ſumus, noſq; diuinæ naturę participes fecit, quoniam ſimiles ei erimus, ut Ioānes ille Theologus ait in epiſtola catholica. Quartū eſt adorationis genus, quo inopia & ſpe bonorum utimur. Ex quo nos ſine ipſo nihil facere, nihil boni habere poſſe cognoſcimus. Quapropter adoramus eum, poſtulantes ea ſinguli, quibus indigemus, & quæ cupimus, ut à malis liberemur, & bona conſequamur. Quintum adorationis genus agimus, cum reſipiſcimus, & peccata confitemur. Peccatis enim admiſsis Deū adoramus, noſq; ſupplices ante illum proſternimus, tanquam boni gratiq; ſerui ueniam poſcentes, & nobis ut ignoſcatur, obſecrantes. Atque hoc quidem genus eſt tripartitum. Aut enim charitate adductus aliquis dolet, mœroreq; affici-

tur: aut metuens, ne à Dei muneribus exclu- datur: aut supplicia reformidans. Primum est animi grati, Deiq; desiderio flagrantis, alterum mercenarii, tertium seruilis indicium. Quam multæ autem, & quot modis adoretur res pro- creatæ, in sacra scriptura depræhendimus. Pri- mũ enim adorantur, in quibus requieuit Deus, qui solus est sanctus, & in sanctis conquiescit, ut in sancta Dei genitricæ, & in omnibus san- ctis, qui totis uiribus operam dederunt, ut Deo similes euaderent, idq; cum uoluntate, tum dei inhabitantis auxilio sunt assecuti, qui sane dii etiam uere nuncupantur, nõ natura, sed gratia, quemadmodũ ferrum ignitum dicitur ignis, non natura, sed adiunctione, qua particeps ignis effectum est. Dicit enim: sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Illud primum est, ut aliquis
Leu. 19. uelit, tum omni uolenti bonum Deus fert au- xilium ad bonum ipsum consequendum. De-
Leu. 26. inde, inhabitabo, inquit, in eis, & inambulabo. Et templum Dei sumus, & Dei spiritus habitat
2. Cor. 6. in nobis. Præterea, dedit, inquit, ipsis in spiritus immundos potestatem, ut eos expellerent, & omnem morbum, omnemq; languorem cura-
Matt. 10. rent. Et, Quæcunque facio, uos etiam facietis, & maiora his facietis. Ad hæc, uiuo ego, inquit, dominus, eos, qui me glorificant, glorificabo. Et, siquidem compatimur, ut & conglorifice- mur. Et Deus stetit in synagoga deorũ, in me- dio autem deos diiudicat. Quemadmodũ igitur

uere sunt dii, non natura, sed quòd illius, qui natura deus est, participes sunt, sic etiam adorantur, non quòd natura sint adorandi, sed quoniā illum, qui natura adorandus est, in se ipsis habent; sicut ferrum ignitum nō natura sua eiusmodi est, ut tangi nequeat, & cōburat, sed quia particeps ignis factum est, qui comburendi naturam habet. Adorantur igitur, ut qui à Deo sunt gloria affecti, & à Deo aduersariis formidolosi & horribiles constituti, & in eos benefici, qui cum fide ad ipsos confugiunt, non ut ad eos qui natura sint dii atque benefici, sed ut ad seruos ministrosq; Dei, & propter suam in Deum charitatem, fiduciam subministrantes. Adoramus ergo illos, quia Rex ipse colitur, cum uidet seruum, quem diligit, nō ut Regem, sed ut ministrum subiectum, & amicum beneuolum adorari. Et qui cum fiducia ad illos accedunt, impetrant ea, quæ prçcantur & flagitāt, siue ministris ipsis à Rege postulantibus, siue Rege honorem & fidem illorum, qui à ministris suis petunt, suscipiēte, propter ipsos enim fusæ sunt preces. Ita per Apostolos accedentes ad Iesum curabantur. Sic Apostolorū umbra, & sudaria, & semicinctia curationē afferebant. Qui uero tanquā aduersarii, & defectores adorari uolunt ut dii, isti non solum adorandi non sunt, sed igne digni sunt sempiterno. Contemptores autē, qui elata mente dei ministros adorare nolunt, tanquam arrogantes, & superbi,

atque in Deum impii condemnantur. Testes sunt pueri illi, qui cũ contemptu aduersus Elisæum clamantes ab ursis dilaniati sunt. Alter adorationis modus est, quo res, per quas, & in quibus salutem nostrã Deus, uel ante domini aduentum, uel post assumptę carnis consilium, executus est, ueneramur & colimus, ut montẽ Sinai, & Nazaret, & præsepe in Bethleem, & speluncam, & sanctum Golgotham, ut Crucis lignum, & clauos, & spongiam, & arundinem, & lanceam illam sacram ac salutiferam, & uestem, & tunicam, & lintea, & fascias, & sanctum illud monumentum nostræ fontem resurrectionis, & monumenti lapidem, Sion montem sanctum, montẽ rursus oliuarum, probaticam piscinam, & beatum illum Gethsemenes hortum. Hæc & his similia ueneror, & adoro, & omne templum dei sanctum, & omnia loca, in quibus deus nominatur, non propter naturam ipsorũ, sed quoniam actionis diuinæ sunt receptacula, & per ipsa, & in ipsis placuit Deo salutem nostram transigere. Nam & Angelos, & homines, & omnem materiam actionis diuinæ participem, atque ministram salutis meæ, propter actionem diuinam ueneror & adoro. Non adoro Iudæos, neq; enim actionis diuinæ participes extiterunt, neq; gloriæ dominum Deũ meum eo consilio affixerunt Cruci, ut mihi salutem parerent, sed inuidia potius & odio in Deum bene de ipsis meritũ concitati. Domine,

dilexi decorem domus tuæ, inquit David, & locũ habitationis gloriæ tuæ. Et, adorate in loco, ubi steterunt pedes eius: Et, adorate in monte sancto eius. Mons dei sanctus animatus est sancta dei genitrix. Montes dei ratione præditi sunt Apostoli: Exultauerunt montes sicut arietes, & colles sicut agni ouium. Tertius adorationis est modus, quo adoramus ea, quæ deo dicata sunt, & consecrata, ut sacra Euangelia, & reliquos libros, scripti sunt enim ad nostram institutionem, ad quos fines seculorum peruenerunt: ut discos, & pocula, & thuribula, & lucernas, & mensas. Hæc enim omnia esse sancta perspicuum est. Vide enim quomodo deus, cũ Baldasar populo uasis sacris ministrari fecisset, regnum eius euerterit. Quartus modus est, quo imagines adorantur à Prophetis perspectæ. Imaginum enim intuitu deum cernebant. Et rerum futurarũ imagines, ut uirga Aaron, quæ quidem imago uirginis mysterium exprimebat. Et urna, & mẽsa. Et Iacob adorauit fastigium uirgæ, quo seruator significabatur. Porro imagines rerum, quæ gestæ sunt, ualent pro monumento. Ipsum enim tabernaculum quid aliud erat, nisi imago pulcherrima & absolutissima? Vide enim, inquit Mosem alloquẽs Deus, exẽplar, quod tibi in monte demonstratum est, & Cherubim aurea opus fusile, & Cherubim in uelo, opus textile. Hoc modo pretiosam crucis formã, corporeæq; Dei mei figuræ Dan. 5.

ſimilitudinem, & eius, quæ ipſum in carne peperit, ac ſeruorum ipſius imagines adoramus. Quintus modus, quo nos uiciſsim ut Dei partē habentes & ad Dei factos imaginē adoramus, atque inter nos ſummiſſe gerimus, legi charitatis obtemperantes. Sextus modus, quem principibus & in poteſtate conſtitutis exhibemus. Reddite enim, inquit, omnibus debita, cui honorem, &c. Ita Iacob tum Eſau fratrem maiorem natu, tum Pharaonem à Deo principem conſtitutum adorauit. Septimus modus, quo ſerui dominos, & benemeritos, & quorum egent auxilio, proſequuntur. Sic Abraham adorauit filios Emmor, cū ab illis ſpeluncam duplicem emeret. Deniq; ut ſimpliciter dicam, adoratio eſt timoris, & deſiderii, & honoris ſignum, & animi ſummiſsi, atque humilis argumentum. Verum neminem oportet ut Deum adorare, niſi eum, qui natura deus eſt, omnibus autem honorem debitum habere propter dominum. Videtis quantū robur, diuinaq; agēdi uis illis præbeatur, qui cum fide puraq; conſcientia ad ſanctorū imagines accedunt. Quamobrem, fratres, in fidei petra, & inſtitutis Eccleſię conſiſtamus, terminos à ſanctis patribus noſtris poſitos minime transferentes, nec locum dantes iis, qui rerū nouarum cupidi ſanctæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ conantur ædificium euertere ac demoliri. Nam ſi iſtiuſmodi licentia cuiuis impune concedatur, pau-

latim totum Ecclesiæ corpus destruetur. Ne, quæso, fratres, ne, obsecro uos, chari Ecclesiæ filii, matrem uestram cõfundatis. Ornatu illam suo ne spolietis. Suscipite eam, quæ per me uos alloquitur. Animaduertite, quid de ipsa loquatur Deus: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Solum rerum omnium procreatorẽ & opificem adoremus, & latriæ cultu ueneremur ut Deum natura adorandum. Adoremus & sanctam Dei genitricem, non tanquã Deum, sed ut dei matrem, quantum pertinet ad humanitatem. Adoremus etiam Sanctos, ut electos amicos dei, & libere loquendi cum ipso facultatem assecutos. Nam si sæpe mortales, & impios, peccatoresq; Reges, & Principes à Regibus constitutos, horumq; ministros adorant homines ex diuino Apostoli mandato, quo iubemur, Principibus & Potestatibus esse subiecti, & reddere omnibus debita, cui honorem, honorem, cui timorem, timorem, & quemadmodum dominus ait, reddere, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Quanto magis oportet Regem Regum, qui solus natura dominus est, & seruos, atque amicos eius adorare, qui perturbationibus & cupiditatibus dominati sunt, & totius orbis principes constituti? Constitues enim eos, inquit Dauid, principes super omnem terram. Qui aduersus dæmones & morbos potestatem acceperunt? Qui regno immortali & nunq̃ finem habituro

simul cũ Christo potientur? Quorum umbra sola morbos & dæmones expulit? Vmbra'ne infirmiorem abiectioremq; imaginem, quæ uere exemplar adumbrat, existimabimus? Fratres, Christianus fide censetur. Quare qui cum fide accedit, multa lucratur. Qui autem hæsitat maris fluctui similis, qui uento iactatur & circunfertur, is nihil accipiet. Omnes enim sancti per fidem placuerunt deo. Proinde in cordis rectitudine, non autem in multis argumentis Ecclesiæ suscipiamus instituta. Deus enim fecit hominem rectum. Ipse autem multas rationes conquisiuit. Ne suscipiamus nouam fidem, tanquam instituta sanctorum patrum sint improbata. Si quis enim, ut diuus ait Apostolus, euangelizauerit uobis præter id, quod accepistis, anathema sit. Sic igitur imagines adoremus, ut non ipsi materiæ, sed iis, quos imagines referunt, adorationem tribuamus. Nam, ut diuus Basilius inquit, honor habitus imagini transit ad ipsum exemplar. Vos autem, ô sacratissime Christi grex, ô popule, qui à Christo cognomen ducis, gens sancta, corpus Ecclesiæ, ita Christus uos regat, ut gaudium resurrectionis eius impleatis, dignosq; faciat, qui sanctorum Ecclesiæ pastorum doctorumq; uestigia sequamini, qui tanquam duces ad gloriam ipsius præcesserunt in splendoribus sanctorum, cuius utinam omnes compotes sitis per gratiam eius, ut ipsum perpetuo collaudetis

cum patre, qui est sine principio, cui gloria in secula seculorum: Amen. Cæterum quando de simulachrorum & imaginum differentia disputauimus, & imaginis definitionem attulimus, tempus est, ut testimonia quemadmodũ polliciti sumus, in medium afferamus.

Sancti Dionysii Episcopi Atheniensis ex Epistola ad Ioannem Apostolum & Theologum.

Res, quæ uidentur, uere sunt earum, quæ non uidentur, imagines conspicuæ.

Eiusdem ex libro de Ecclesiastica Hierarchia.

Verum essentiæ atque ordines illi nobis præstantiores, de quibus sacram fecimus mentionem, & corpore uacant, & sacer ipsorum principatus, quantũ ad eos spectat, sola mente percipitur, & mundo superior est, quantum autem ad nos pertinet, uidemus eum ratione nobis congruente, signorum, quæ sub sensum cadunt, uarietate plenum, ex quibus sacro quidem modo ad Diuinitatis coniunctionem pro ratione nobis conueniente deducimur. Ac Deum sane, diuinamq; uirtutem intelligentiæ, quemadmodum illis fas est, intelligunt, nos autem imaginibus sensum mouentibus ad diuinas contemplationes, quoad fieri potest, prouehimur.

Commentarium.

Quòd si pro ratione nobis congruente imaginibus sensum mouentibus ad diuinam & à materia remotam contemplationem perducimur, diuinaq; prouidentia pro sua in nos benignitate rebus figura formaq; carentibus figuras & formas accommodat, ut ad eas percipiendas facilius prouehamur, cur absurdũ sit, eum qui pro sua erga nos benignitate sese figuræ, formæ, naturæq; subiecit, imagine effingere pro ratione nobis conueniente?

Sancti Basilii, ex oratione, qua beatum Martyrem Barlaam laudauit, cuius initium est: Antea quidem sanctorum mors. In extrema orationis parte.

Exurgite nunc mihi præclari athleticorum facinorum pictores. Cõminutam Imperatoris imaginem artificio uestro extollite. Coronatum uictorem obscurius à me depictum uestris coloribus illustrate. Discedo strenue Martyris factorum pictura à uobis superatus. Hodie facultate uestra me uictum gaudeo. Manũ cum igne pugnantem accuratius à uobis expressam intueor. Ornatius in uestra pictura pugilẽ descriptum uideo. Plorent nunc etiam dæmones strenuis Martyris factis à uobis expressis uerberati. Ardens rursum illis manus & uincens ostendatur. Exprimatur etiam in tabula præfectus certaminum Christus.

Eiusdem,

Eiuſdem, ex laudatione in ſanctos Martyres quadraginta.

Nam & quæ in bello fortiter geſta ſunt, ſæpenumero tum oratores, tum pictores explicant, illi quidem ea uerbis exornantes, hi uero coloribus exprimentes. Qua quidem ratione multos utrique ad uirtutē excitant. Quæ enim hiſtoriæ ſermo auribus proponit, ea pictura tacens oculis oſtendit.

Eiuſdem ex triginta capitum ad Amphilochum de ſpiritu ſancto capite decimo octauo.

Quoniam etiam Regis imago Rex dicitur, & non duo Reges. Neq; enim imperium ſcinditur, neque diuiditur gloria. Quēmadmodum enim principatus & poteſtas, quæ nobis imperat, una eſt, ſic etiam honor, quem nos exhibemus, unus eſt, non multi. Nam honor imagini habitus ad exemplar tranſit. Itaque quod imitationis ratione hic eſt imago, illic naturaliter eſt filius. Quemadmodum igitur, qui filium non honorat, ut filius ait, is non honorat patrē, Io. 5.
qui miſit ipſum: ſic qui non colit imaginem, is nō colit eum, quem imago refert. At Chriſti imaginem eſſe colendam forte quiſquam conceſſerit, ſanctorum autem non item. Proh dementiam. Audi dominum diſcipulos alloquentem: Qui ſuſcipit uos, me ſuſcipit. Quamobrem qui ſanctos non colit, is ne ipſum quidem dominum colit.

Sancti Gregorii Nyssæ Pontificis ex oratione Constantinopoli habita de filii & spiritus Diuinitate, & in Abraham oratione XLIIII cuius initium est, Quod ex pratorum amœnitate contingit iis, qui eorum aspectu delectantur.

Hinc prius uinculis alligatũ assumit filium pater. Huius ego acerbæ rei spectaculum sæpe pictura expressum uidi, nec sine lacrymis illud prçteriui, cum ars perspicue rem gestam oculis subiiceret. Isaac genibus flexis manibusq; post tergum reuinctis iacet ante ipsum altare. Pater uero post filii poplites accedẽs, sinistraq; manu comam illius apprehensam ad se trahens incumbit filii capiti miserabiliter ad patrem respicientis, dexteram autem gladio armatam ad cçdem dirigit. Iamq; gladii acies corpus attingit, cum uox diuinitus prohibens exauditur.

Sancti Ioãnis Chrysostomi ex interpretatione Epistolæ ad Hebræos.

Et secundi quodãmodo imago est primus, nempe Christi Melchisedech, non aliter quàm siquis ante adumbratam à pictore delineationẽ umbrã ipsius picturæ, quæ coloribus expressa est appellet. Iccirco enim umbra lex dicitur, & gratia ueritas, res autem, ea, quæ futura sunt. Quare lex quidem & Melchisedech est adumbratio picturæ coloribus expressæ, gratia autẽ & ueritas pictura consistens in corpore. Res

uero, ea, quæ futuro seculo sunt euentura. Vt antiqua lex sit figura figuræ, noua autem figura rerum.

Seueriani Gabalorum Episcopi ex oratione, quam habuit in dedicatione uenerabilis, & salutiferæ crucis.

Quomodo imago execratissimi populo in calamitate uersanti & conflictato uitam attulit? Non'ne credibilius erat, si dixisset, si quis uestrum morsus fuerit, cœlum suspiciat, aut tabernaculum Dei, & salutem assequetur? Verum his ille posthabitis crucis tantum imaginẽ statuit. Cur autem hęc fecit Moses, qui populo dixerat, non facies tibi sculptile, neque conflatile, neque similitudinem ullam earum rerum, quæ sunt in cœlo sursum, aut in terra deorsum, aut in aquis sub terra? Sed quid ego hæc ad ingratum populum loquor? Dic, quæso, fidelissime Dei minister, Quod aliis uetas, id ipse facis? Quod præcipis euerti, id ipse constituis? Qui, Non facies, inquis, sculptile, quiq; conflatum uitulum comminuisti, serpentem ipse ex ære conficis? eumq; non clam, sed palam, & omnibus perspicuum statuis? At illa, inquit, mãdaui, quo materiam impietatis excinderem, & ab omni defectione atque idolorum cultu populum abducerem, nunc autem serpentem utiliter conflo, ut ueritatẽ ipsam pręsignificem. Et quemadmodum tabernaculum, & quæ in ipso sunt omnia, & Cherubim similitudinem

eorum, quæ non uidentur, adhibui in sancta, ut figuram, atque umbram futurorum ostenderem, sic & serpentem ad salutem populi conflaui, ut eiusmodi experimēto exercitatus crucis imaginem & seruatorem ac redemptorem in ipsa pendentem præcognosceret. Hoc autē esse uerisimum intelliges, amice, ex uerbis domini id ita confirmantis: Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam ęternam. Quòd autem imaginum institutio non noua, sed prisca sit, & apud sanctos & eximios patres nota, & usitata, disce ex iis, quæ in uita Beati Basilii ab Elladio eius discipulo, in Pontificatuq; successore conscripta sunt. Pius enim Basilius, ut ipse narrat, Dominæ nostræ astabat imagini, in qua Mercurii etiam celebris Martyris figura descripta erat. Astabat autem supplicans, ut impius ille tyrannus Iulianus apostata tolleretur. Ex qua quidem imagine didicit, quid esset euenturum. Vidit enim Martyrem exiguum ad tempus obscurum, non autē multo post hastam cruentam tenentem.

Ex uita sancti Ioannis Chrysostomi.

Epistolas sapientissimi Pauli Beatus Ioannes habebat in magno pretio. Et paulo post. Habebat autē effigiem Apostoli Pauli in imagine, ubi propter corporis imbecillitatem parumper quiescebat. Erat enim supra q̃ natura

patitur uigilans. In hanc ille effigiem, quando perlegebat illus epistolas oculorum aciem intendebat, in eaq; non aliter, ac si Paulus ipse uiuus esset, obtutu defixus inhærebat, beatum ipsum appellans, totamq; animi cogitationem ad illum dirigens, & cũ eo uersans & loquens contemplando. Et paucis uerbis interiectis. Cum autem Proclus loquendi finem fecisset, oculis in Pauli effigiem defixis, & figurã eius, quem uiderat, similem conspicatus, Ioanni desiderium iniiciens, sic eum, digito demonstrans imaginem, allocutus est. Ignoscito mihi, pater, ille, quem uidi loquentem tibi, huic similis est, atq; adeo, si recte memoria teneo, ipse est.

Ex Philothei historia, Theodoreti Episcopi Cypri in sancti Simeonis in columna degentis uitam.

Nam de Italia quid attinet loqui, cum celeberimum in urbe maxima uirum dicant extitisse, qui in omnibus officinarum uestibulis, imagines sibi paruas constituebat, quæ custodiam & securitatem quandam ipsis præberent?

Sancti Basilii ex interpretatione in Esaiam.

Posteaquam hominem uidit ad Dei imaginem & similitudinem factum, cum inanem improbitatis suæ uim in Deum non posset conuertere, eam contorsit in imaginem Dei, non aliter, ac si quis homo Regis imaginem lapidibus petat, quia Regem ipsum non possit, atque

ita lignum Regis effigiem referens uerberet. Sic quicunque ueneratur imaginẽ, ipsum nimirum ueneratur exemplar.

Eiusdem ex eadem interpretatione.

Quemadmodum in eum, qui regiam imaginem afficit ignominia, non secus animaduertitur, quàm si ignominia Regem ipsum affecisset. Ita peccato sese obstringit, qui in eum, qui factus est ad imaginem Dei, contumeliosus est.

Sancti Athanasii ex centum capitum ad Antiochium principem per interrogationem & responsionem conscriptorum capite XXXVIII.

Responsio.

Absit, ut, quemadmodum Grȩci faciunt, nos Christiani, tanquã Deos, imagines adoremus. Affectionem duntaxat & charitatis nostrȩ studium erga figuram personæ per imaginem expressæ declaramus. Itaque lignum sæpe, quod iam erat imago, si figura deleta sit, tanquã inutile comburimus. Quemadmodũ igitur Iacob cum esset è uita discessurus, fastigium uirgæ Ioseph adorauit, non uirgam ipsam honorans, sed eum, qui uirgam tenebat, ita nos Christiani non alia ratione imagines colimus, nisi, ut quemadmodum etiam cum filios nostros & patres osculamur, animi nostri desiderium indicemus. Sicut & Iudæus olim legis tabulas, & duo Cherubim aurea, & sculptilia quondam

Adoratio est actus Religionis quo ueneramur supremam Dei Maiestatem corpore et animo: latria. Hyperdulia B.V.M. ob singularem excellentiam. Dulia sanctis: ob ... excellentia sanctitatis ... Obiectum formale

adorabat, non lapidis, auri'ue naturam colens, ſed dominum, qui, ea ut fierent, præceperat.

Chryſoſtomi in tertium Pſalmũ in Dauidem & Abſalon.

Ducibus, qui uictores extiterint, ſtatuas, uirtutis ergo, Reges decernunt. Aurigis & certatoribus Principes columnas quaſdam uictoriæ indices erigunt, epigrammate tanquam inſigni quodã materiæ adiuncto uictoriæ præconium adhibentes. Alii rurſum libris & monumentis literarũ laudes uictorum ita celebrant, ut ſuam laudandi facultatem laudatis firmiorem eſſe uelint oſtendere, Et pictores, & oratores, & ſtatuarii, & populi, & principes, & ciuitates, & regiones uictores admirantur. Nemo fugientis aut bellum detrectantis imaginem pinxit.

Sancti Cyrilli Alexandriæ Archiepiſcopi ex oratione, quam ad Regem Theodoſium habuit.

Imagines ſunt exemplaribus ſimiles, oportet enim, ut eodem ſe modo, & non aliter habeant.

Eiuſdem ex Theſauris.

Semper enim imagines exemplarium ſimilitudinem referunt.

Eiuſdem ex laborioſo cõmentario, quo declarat, in omnibus, quæ à Moſe ſcripta ſunt, Chriſti myſterium oſtendi. De Abraham, & Melchiſedech, capite VI.

[illegible] Anacleti fol. 177. uide hic fol. 14. Paschalis [illegible] admirabilis

Cum mihi necesse sit, ut imagines exemplaribus similes exprimam.

Sancti Gregorii Nazanzeni ex oratione de filio secunda.

Hæc enim est imaginis natura, ut exemplar, cuius esse dicitur, exprimat.

Chrysostomi ex tertia ad Colossenses oratione.

Rei inuisibilis imago est ipsa quoque inuisibilis, alioquin imago non esset. Imaginẽ enim, quatenus imago est, etiã apud nos, expressam oportet figuram similitudinis continere.

Eiusdem ex interpretatione in Epistolam ad Hebræos capite XVII.

Quemadmodum in imaginibus formam habet hominis imago, non autem robur. Itaque uerum exemplar, & forma ex ipso sumpta mutuam quandam similitudinem retinent. Forma enim æqualis est.

Eusebii Pamphili ex demonstrationum, quæ sunt in Euangeliis, libro quinto, in illa uerba: Apparuit Deus Abrahæ apud quercum Mambræ.

Quamobrem ad hoc usque tempus is locus tanquam diuinus, ad honorem eorum, qui illic Abraham apparuerunt, à uicinis populis celebratur. Et spectatur adhuc firma terebinthus, & qui ab Abrahã accepti sunt hospitio pictura sic expressi, ut duo quidem utrinque tertium ut honore præstantiorem medium habeant.

Sit autem declaratus hic nobis dominus ipſe ſeruator noſter, quem etiam ignari uenerãtur, qui diuinis oraculis credunt. Hic igitur ipſe iam inde ab eo tẽpore pietatis religioniſq; ſemina in homines iaciens humanã ſpeciẽ ac formã indutus, ſe patri Abrahã conſpicuũ præbuit, & quinam eſſet, oſtẽdit, patriſq; ſui notitiam tradidit.

Ex temporum deſcriptione Ioãnis Antiochiæ Pontificis, qui & Malala dictus eſt, de muliere, quæ ſanguinis fluxum perpeſſa fuerat, deq; monumento, quod Chriſto ſeruatori conſtituit.

Ex eo tẽpore Ioannes etiam Baptiſta clarus & celeber apud homines fuit, quem interfecit Herodes princeps in regno trachonitidis regionis in Auguſta ciuitate conſtitutus ante VIII. Calen. Iunii Flacco Ruphinoq; conſulibus. Quamobrem triſtis Herodes Rex Philippi filius à Iudæa rediit, & acceſsit ad eum mulier quædam locuples nomine Bernice, quæ Paneada oppidum ſuũ incolebat. Cupiebat Ieſu, à quo fuerat morbo liberata, monumentum conſecrare, ſed ſine Regis permiſſu non audebat. Itaque libellum Herodi ſupplicem obtulit, in quo petebat, ut ſibi in oppido ſuo liceret Chriſto ſeruatori ſtatuã auream dicare. Verba autẽ illius erãt eiuſmodi, Auguſto Herodi principi, & Iudæorum, Græcorumq; gubernatori, Trachonitidis Regi, ſupplex Bernice Paneadis dominæ petitio & obſecratio. Iuſtitia, & hu-

manitas amplitudinis tuæ fastigium exornant. Quod quidem ego non ignorans scribo, me quicquid orauero abs te sperans exoraturam. Quæ autem sit huius'ce proœmii causa ex progressu orationis intelliges. Ego iam inde ab ipsa prima ætate sanguinis fluxu laborans uitam facultatesq; meas in medicos profuderam, nec curationẽ reperiebam. Cũ autem accepissem, res admirandas Christum efficere, mortuos in uitam & lucem reuocare, Dæmones è mortalibus eiicere, & diuturnis morbis iam cõfectos uerbo liberare, ipsa quoque ad illum tanquam ad Deum confugi. Sed multitudinem, quæ ipsum circunstabat, considerans, metuensq́; ne â morbi cõtagione abhorrens indignaretur, maiorq́; mihi morbi plaga fieret, mecum ipsa reputabam, me, si possem uestimenti eius oram attingere, saluam & incolumem futuram. Attigi, stetitq́; sanguinis fons, & illico conualui. At ipse, ut qui cordis mei consilium ante cognouerat, clara uoce quis me, inquit, tetigit? Virtus ex me prodiit. Ego uero pallens ac gemens morbumq́; grauiorem ad me reuersurum timens ad pedes eius prostrata, & lacrymis humum conspergens audaciam meam aperui. Verum ipse uti benignus, & clemens, uicemq́; meam commiseratus, curationem cõfirmauit, confide, inquiens, fides tua te saluam fecit, uade in pace. Sic etiam tu, Rex auguste, quod abs te æquum peto, mihi concede. Herodes Rex ex

ſupplicis oratione rem admirabilem intelligẽs obſtupuit. Et curationis myſterium ſuſcipiens, curatio, inquit, tua, mulier, maiore eſt monumento digna. Abi igitur, & quod uis illi monumentum ſtatue, eumq́; , qui te curauit, honoribus affice. Statim igitur ipſa Bernice, quæ ſanguinis fluxum ante perpeſſa fuerat, in medio oppidi ſui Paneadis, Domino & Deo columnam ex ære, argento, auroq́; immixto confectam erexit. Quæ quidem columna in oppido Paneade ad hoc uſque tempus manet. Cum ex loco, ubi erat, non multo ante ſacrum in locum atque in ædem nobilem tranſlata ſit, & in urbis medio collocata. Atque hoc quidẽ monumentum in hac ipſa urbe Paneade apud Baſſum quendam, qui ex Iudæo Chriſtianus euaſerat, inuentum eſt, in quo erat uita Regum omniũ, qui in regione iudaica fuerant.

Ex Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Euſebii Pamphili libro ſeptimo, De muliere ex urbe Paneade quæ ſanguinis fluxu laborauerat.

Verum quoniam in huius'ce urbis mentionem incidimus, rem, quæ digna eſt, ut poſteritati mandetur, ſilentio prætereundam non cenſeo. Fœminam enim illam, quam à ſeruatore noſtro ſanguinis fluxu liberatã, ex ſacris Euangeliis accepimus, hinc dicunt eſſe profectam, & domum ipſius in hac urbe demonſtrari, admirandaq́; benignitatis in ſe collatæ trophæa per-

manere. In excelso enim lapide ante fores ædium ipsius æream mulieris effigiem in genu inclinatam & paßis ante manibus supplicanti similem conspici. E regione autẽ illius alteram ex eadẽ materia uiri rectã effigiem stare decore diploidem indutam, manumq; suam illic protendentem. Huius ad pedes in hoc monumento peregrinum quoddã herbę genus nasci, quod cum ad diploidis oram ascenderit, omnium morborum medicamentũ existit. Quam quidem statuam domini Iesu imaginẽ dicunt exprimere. Mansit autem ad nostram ætatem usque, ut peregrini possent eam oculis in ciuitate contueri. Nec mirum, ueteres olim ex gentibus, qui à seruatore nostro beneficium acceperant, talia præstitisse, cum & Apostolorum Petri & Pauli, & ipsius Christi imagines non secus, ac priscorum uirorum pictas uiderimus, cum eã esset apud antiquos cõsuetudo, ut hanc honorandi rationẽm obseruarent.

Eiusdem ex nono eiusdem historię libro in Regem Constantinum.

Cum se Dei auxilio plane adiutum esse sensisset, statim salutiferæ mortis trophæum sub imagine sua statuendum mandauit, cum salutaris crucis signum dextera ipse sua contineret, idq; in loco Romæ maxime celebri, adhibita uerbis Romanis huiusmodi inscriptione: Hoc salutari signo, uero fortitudinis indice urbem uestram è tyranni iugo ereptam in libertatem

uindicaui, ſenatumq; & populum Romanum in priſtinum ſplendorem dignitatemq; liberum reſtitui.

Ex hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Socratis lib. 1. capite XVIII. de codẽ Imperatore.

Poſt hæc autem Imperator Conſtantinus Religionis Chriſtianæ ſtudioſior factus à religione Grçcorum abhorruit, ſingulariaq; certamina fieri uetuit, & proprias imagines in templis collocauit.

Stephani Boſtrani aduerſus Iudæos capite IIII.

Nos uero ſanctoꝝ imagines ad eoꝝ memoriam cõſeruandam cõſtituimus, ut Abrahã, & Iſaac, & Iacob, & Moſis, et Elię, et Zacharię, & reliquoꝝ prophetaꝝ, ſanctorumq; Dei martyrum, qui propter ipſum mortẽ oppetiuerunt. Vt quicunq; imagines ipſoꝝ uidet, eoꝝ recordetur, & laudet eum, qui honore ipſos affecit.

Eiuſdem.

Quantum ad imagines pertinet, omnia, quæ Dei noĩe fiunt, præclara, ſanctaq; eſſe audacter dicimus. Ab idolis autẽ & ſimulachris abhorremus. Hæc enim ſimul cum effectoribus ipſorũ mala ſunt, atque extranea, ac deteſtanda. Aliud enim eſt imago ſancti prophetæ, aliud effigies & ſtatua ſaturni, & ueneris, aut ſolis, & lunæ. Cæterũ etiam homo, quoniam ad imaginẽ Dei factus eſt, adoratur. Serpens autem, quia Diaboli eſt imago, execrandus eſt ac deteſtandus.

Quod si quę facta sunt hominū opera & manu reiicienda putas, quid obsecro, Iudæe, adoratur in terra, quod hominum manu factum non sit. Quid? arca Dei manu facta non fuit? aut altare? aut propitiatorium? aut Cherubim? aut urna illa aurea, quæ manna continebat? aut mensa? aut interius tabernaculū, & omnia, quæ à Deo sunt appellata sancta sanctorum? Non'ne Cherubim, quæ Angelorum imaginem referunt, hominū facta sunt labore, & manu? Quid ais? si hæc idola appellas, quod Mosi, & Israeli ea adorantibus nomen impones? Atque adoratio quidem, honoris est indicium & nota, qua nos peccatores utimur tum erga Deum, cum diuino illum latrię cultu, & conuenienti adoratione ut procrearorem gubernatoremq́; nostrum ueneramur, reueremurq́;: tum erga Angelos, & seruos eius, cum illos ut res ab ipso factas, eiq́; subiectas secundum Deū colimus. Imago enim est nomen & similitudo rei, quam exprimit. Quamobrē & domini cruciatuum, & sanctorum Prophetarum, qui in lege & Euangeliis scripti sunt memoriam tum literis, tum imaginibus celebramus.

Sancti Gregorii Nazanzeni ex oratione in Iulianum apostatam,

Cuius calamitatem propter hoc scelus illatam imagines adhuc publicis in locis constitutæ testantur.

Chrysostomi ex interpretatione iusti Iob.

In his omnibus quæ ipsi contigerunt, nunquam Deum ut insipientem, aut rerum humanarum nullam gerentẽ curam incusauit. Quem admodum in imaginibus, cũ aliquem in tabella rei gestæ memoriam referente depingimus, nomen illius à quo tabella dicata est, apponimus: Ita qui scripsit hunc librum, cum eius expressisset imaginem animi, tanquã in extrema modioli parte subscribens ait, Iob in his omnibus quæ ipsi contigerunt, non peccauit.

Ex eorum librorum, quibus sancti Constantini uita describitur, quarto.

Quantopere autem animus eius diuinæ fidei uirtute confirmatus esset, ex eo facile quiuis intelligat, quòd aureis in nummis suã ipse imaginem sic effingebat, ut supplicantis in morem ad Deum conuersa sursum spectare uideretur. Atq; eiusmodi quidem effigies per totam Romanorum ditionem uagabantur. Quibusdam autem in urbibus in ipsarum Regiarum uestibulis imagines ipsius ita pingebantur, ut rectus ipse stans protensis manibus, uti supplex in cęlum suspiceret. Sic ille se in picturis supplicem & precantem proponebat.

Ex tertio eiusdem operis libro.

Sic igitur Regis mater initiabatur, quæ cum propter alias eius diuinas actiones plurimum laudanda est, tum ob id potissimũ, quòd hunc nobis Regem tanquam excellentem & admirabilem quãdam plantam ex se genuit. Quem

quidem Regem cum aliis omnibus de causis tum ob eius erga matrem pietatē beatum debemus existimare, quippe qui sic ipsam piam, cum antea non esset, constituerit, ut ab ipso ad cōmunis seruatoris disciplinam ab initio uideretur esse perducta. Sic autem illam dignitate regia cohonestauit, ut apud omnes gentes, & apud exercitus Augusta Regina uocaretur, aureisq; nummis imprimeretur imago ipsius.

Ex eiusdem quarti libri cap. LXIX.

Qui uero cū ipso senatu populoq; Romano regiam urbem incolebant, cum Regis obitum accepissent, acerbo atque omni calamitate pleno nuncio perculsi immenso dolore affecti sunt. Thermæ, tabernæq; sunt clausæ, omnia spectacula, & quęcunque in otiosa tranquillaq; uita fieri consueuerunt, intermissa. Qui prius in deliciis & uoluptatibus uersabātur, tunc mœsti & tristes incedebant. Vna autem eum omnes uoce beatum, pium, uere dignum imperio prędicabant. Hæc autem non uerbis solum, sed factis præstabant. Ad eius enim imagines accurrentes ipsum mortuum tanquam uiuum colebant. Cœlum quidē in pictura coloribus effingentes, illum super cœlorum apside in ætheria regione degentem expresserunt.

Eiusdem ex capite LXXIII.

Simili ergo ratione beatissimus ille per filiorum successionem pro uno multiplex erat, cum tanquam in imaginum excitatione apud

omnes

omnes gentes una cum liberis suis coleretur.

Theodoreti Episcopi Cyri, & longæui
ex interpretatione in Ezechielem.

Et quemadmodum Romani regias imagines sic effingunt, ut satellitibus stipatæ sint, & gẽtes subiectas habeant, eodem modo Rex hic, cum per uisum formam effingat Dei, qui tanq̃ in solio gestetur, rerum omnium, quæ in terra sunt, ostendit imagines, figuræq; decus adhibet, in res uniuersas docens imperium Dei.

Eiusdem.

Et tu fili hominis sume tibi laterẽ, & pones illum ante faciem tuam, & describes in eo totã Hierusalem, & dabis in ea ambitũ, & ædificabis in illa propugnacula, & circunduces fossam, & copias constitues, & ordines militũ collocabis.

Interpretatio.

Si ex aduerso populum alloqui reformidas, eiq; ciuitatis direptionem, euersionemq; templi, & quæ ex his euenturæ sunt calamitates indicare, alia ratione hoc demonstra, ut & ille resipiscat, & ipse præteferas humanitatem. Et sumens, inquit, laterem ciuitatẽ describe, addatur autem ciuitatis nomen, ut pateat illam esse Hierusalem. Cõstituta ciuitate imagini pictura expressæ uallum adiunge, ubi est exercitus multitudo. Milites autem ordine procedant militari. Id enim significant copiæ, id est, præsentes militum ordines qui nõ solum armis instructi

ſint, ſed machinas admoueant, quibus muros euertant. Muri enim hi machinas indicant. Mirabili uero ratione multitudinis ſolum copias urbem obſidentes oſtendit, ut calamitatũ metu populum perterrefaciens, eũ auocet à peccatis.

Ex Martyrio ſancti Euſtathii, qui & placidas.

Cum, ut ſolitus erat, quadam die cum exercitu atque omni comitatu in montibus uenaretur, ceruorum paſcentium gregem eſt conſpicatus, eoſq; exercitu de more in partes diſtributo perſequebatur. Verũ cum in iis capiendis totus exercitus eſſet occupatus, unus eorũ longe totius gregis maximus atque pulcherrimus à reliquis ſecedens per loca prærupta & aſpera, atque inacceſſa cum impetu ferebatur, quem Placidas intuitus, cupienſq; comprehendere paucis cum militibus reliquos omnes relinquens inſequi perrexit. Cumq; comites defeſsi eſſent, ipſe ſolus in perſequẽdo fortis permanſit. Sic enim diuina prouidentia conſtituerat, ut nec equus eius, nec ipſe loci difficultate deficeret. Cũ igitur diu perſecutus eſſet, procul ab exercitu ſuo ſe eſſe animaduertit. Ceruus autem fugiebat, ipſe uero cum ſummum ſaxi faſtigium conſcendiſſet, ſecumq; comitem nullum haberet, circunſpiciebat, & cogitabat, quonam modo ceruum caperet. At ſapientiſsimus & clemẽtiſsimus Deus, qui omnes perſequitur

uias,quo homines ad ſalutem perducat, hunc in ipſa uenatione uenatur, non ut Cornelium opera Petri,ſed ut Paulum perſequẽtem præſentia ſua.Cum enim Placidas diu ſtetiſſet,Cerui q́; magnitudinem intentis oculis admiratus nullam eius capiendi rationem inueniret,Deus illi portentum eiuſmodi,quod tamen alienum non eſſet, nec eius potentiæ magnitudinẽ ſuperaret,oſtendit.Quemadmodum enim aſinę loquendi uim tribuens Balaam redarguit cogitata, ſic etiam hic in cerui cornibus ſanctæ crucis imaginem demõſtrauit adeò fulgentem, ut uinceret ſolis ſplendorem. In medio autẽ cornuum formam diuini corporis, quod ſalutis noſtræ gratia ſuſcipere dignatus fuerat, attributaq́; ceruo more humano loquẽdi facultate Placidam compellauit,Quid me,inquiens,perſequeris Placida? Ecce propter te adſum, meq́; tibi in hac uita conſpicuum exhibeo.Ego ſum Ieſus Chriſtus,quem ignorans ueneraris. Tua enim in pauperes officia & merita aſtiterunt in conſpectu meo.Quamobrem ueni, ut per ceruum hunc me tibi conſpiciendum præberem, teq́; uiciſsim uenarer, & humanitatis meæ retibus comprehenderem. Neque enim æquum eſt, ut quem ego propter eius benefacta diligo charumq́;habeo,is dæmonibus impuris, & ſimulachris mortuis ac ſurdis inſeruiat. Hanc enim ob cauſam ſub hac ſpecie,quam cernis,in mundum ueni,ut hominũ genus conſeruarem.

Sancti Leontii, Neapolis, quæ in Cypriorum insula est, Episcopi ex sexto contra Iudæos libro.

Age deinceps iam, age sanctarum expreßionis imaginum defensionem moliamur, ut ora iniquorum iniusta loquentium obstruantur. Neque enim inuentum nostrum hoc est, sed legis institutum. Audi enim Deũ ipsum Mosi præcipientem, ut geminas Cherubim imagines sculptiles & conflatiles strueret, quæ propitiatorium obumbrarent. Præterea tẽplum ostendit Deus Ezechieli, quod quidem à pauimẽto usque ad laquearis fastigium sculptiles, inquit, habebat leonum, & palmarum, & hominum, & Cherubim facies. Vere sermo terribilis. Deus, qui iußit Israeli, ne ullius rei, quæ in cœlo, quæ'ue in terra sit, simulachrum, aut imaginem, uel similitudinem faceret, idem præcipit Mosi, ut sculpta faciat animantia Cherubim. Idem ostendit Ezechieli templum imaginibus, & sculptis leonum, & palmarum, & hominum similitudinibus plenum. Quinetiam Salomon formam ex lege sumens tẽplum æreis boum, & palmarum, & hominum simulachris impleuit. Neq; tamen ob id reprehensus fuit à Deo. Quamobrem si uis me reprehendere, Deum prius hæc fieri iubentem reprehende, ut eius admonitio nobis exemplo sit.

Eiusdem ex quinto libro.

Nos rursum derident, qui crucem sanctam,

& diuinas imagines in honore & pretio habeamus ac ueneremur, nosq; simulachrorum, & ligneorum Deorum cultores appellant homines impii. Si Deum (ut asseris impie) ligneum colimus, aut plures omnino Deos, cur iurantes non dicimus, per Deos, quemadmodum tu uitulum unum aspiciens dixisti: Hi sunt Dii tui Israel? At eiusmodi iusiurandum ex ore Christianorum profectum audiuisse te nunquam dices. Verum adulteræ synagogæ mos est, ut sapientissimam Christi Ecclesiam meretricem appellet.

Eiusdem.

Neq; enim sanctorum formæ, & imagines, & signa adorantur à nobis tanquam Dii. Nam si ligneam imaginē adoremus ut Deum, eundē omnino cultum reliquis etiam lignis exhiberemus, neque, ut sæpe contingit, imaginem deleta forma, igne combureremus. Et rursum. Quandiu ligna sic inter se coaptata sunt, ut crucis imaginem exprimant, adoro formam illam, propter Christum, qui in eam suffixus fuit, at ubi seiuncta separataq; fuerint, eadem abiicio, atque comburo. Ac quemadmodum qui Regis edictum obsignatum suscipit, & signū osculatur non terram, neque chartam, aut plumbū, sed Regem ipsum ueneratur, & colit, sic etiam nos Christiani crucis formam adorantes non ligni naturam adoramus, sed signum, & annulum, & formā ipsius Christi respicientes, eum

qui cruci fuit affixus, per ipſam complectimur & adoramus.

Eiuſdem.

Et iccirco Christum, Christiq; cruciatus in Eccleſiis, in ædibus, in plateis, in tabulis, in linteis, in cubilibus, in palliis effingimus pingimusq;, ut his aſsidue perſpectis memores ſimus, & non obliuiſcamur, quemadmodum tu ſemper oblitus es domini Dei tui. Et quemadmodum tu librum legis adorans, non corii naturam adoras, nec nigrum illud, ex quo literæ conſtant, ſed uerba Dei, quę in ipſo ſunt: ita nos in Christi imagine non ligni, colorum'ue naturam adoramus, (abſit) ſed inanimatam Christi formam atq; imaginem adorantes, per ipſam amplecti Christū ipſum uidemur & adorare. Et quemadmodum Iacob, cum à Ioſeph fratribus, qui eum uendiderant, uariam illius tunicam cruentam accepiſſet, eam cū lacrymis oſculatus eſt, & oculis ſuis impoſuit, nō quòd illam tunicam defleret, ſed quòd per eam ſibi Ioſephum ipſum amplecti & manibus contrectare uideretur. Sic etiam nos Chriſtiani imaginem Apoſtoli aut Martyris ore ſalutantes & oſculantes, animo iudicamus nos Christum aut Martyrē ipſum ſalutare & exoſculari. Quamobrem, ut ſæpe dixi, in omni ſalutatione, atque omni adoratione, propoſitum animi eſt conſiderandum & expendendum. Quòd ſi mihi uitio uertis, quòd crucis lignum adorem tan-

quam Deum, cur non item incusas Iacob, qui Ioseph uirgæ fastigium adorauit? an quia perspicuum est, eum non lignum, sed per lignum Iosephum ipsum honorantem adorasse? Sicut nos item per crucē Christum colimus & adoramus. Quandoquidem & Abraham uendentibus sibi sepulturam hominibus impiis genua flectens, eos adorauit, non tamen ut Deos. Et rursum Iacob Pharaoni, quanuis esset impius, atque idolorum cultor, benedixit, & Esau septies, non tamen ut Deū adorauit. Vide, quot tibi salutationes, quotq́; adorationes expressas, & naturales ostenderim, quæ reprehendi non possunt? Tu uero cum uideris nos Christi, aut castissimæ matris eius, aut sancti alicuius imaginem adorare, confestim indignaris, & crimini uertis, & refugis, atque idolorum nos cultores appellas? nec erubescit, & reformidas, ac pudore perfunderis, cū uideas nos quotidie in omnibus orbis terrarum partibus idolorum templa euertere, & templa Martyrum excitare? Si adorarem idola, cur Martyres idolorum euersores honorarem? Si ligna, ut ais, colerem, quomodo sanctos uiros uenerarer, qui ligneas dæmonum statuas combusserunt? Si lapides colerem, quomodo Apostolos, qui lapidea idola confregerunt, honore prosequerer? Si falsorū Deorum imagines colerem, quomodo trium puerorum, qui ne auream Idoli effigiem adorarent, Babylone decertarunt, gloriam & lau-

des solenni cultu celebrarem? Magna nimirum est iniquorum hominũ pertinacia, magna cæcitas, magna, Iudæe, impudentia atque impietas tua. Vere abs te iniuria afficitur ipsa ueritas. Exurge Deus, & iudica, & discerne nos à gente non sancta, sed impia, atq; aliena, teq; ad iram perpetuo concitante.

Eiusdem.

Si igitur, ut sæpe dixi, lignum & lapidẽ adorarem, sic ego quoq; lignum & lapidem alloquerer, tu, inquiens, me procreasti. Quòd si sanctorum imagines adoro, immo uero si sanctos ipsos adoro, & sanctorũ Martyrum certamina ueneror, quomodo hæc tu, stulte, idola uocas? Idola enim eorum, qui falsi sunt Dii, & adulteri, & homicidæ, & filiorum immolatores, & effœminati, non autem Prophetarum, & Apostolorum effigiem & similitudinem repræsentant. Atq; adeò ut singulari, & breui, atq; certissimo exemplo intelligas, quę sit inter Christianorum, & aliarum gentium imagines differentia, audi. Habebant Babylone Chaldæi musica generum omnium instrumẽta, quibus dæmonum simulachra celebrabant. Habebãt & Hebræi instrumenta Hierusalem exportata, quæ ex salicibus suspenderant. Vtraq; erant instrumenta, & psalteria, cytharæ, & tibiæ, sed hæc ad Dei gloriam, illa uero horum quidem similia, sed ad dæmonum cultum comparata. Eodem modo discrimen inter imagines & simulachra

aliarum gentium & Christianorum intellige. Illa enim ad Diaboli gloriam & memoriam, nostra autē ad gloriam Christi, & Martyrum, & sanctorum eius confecta sunt.

Eiusdem.

Proinde, cum hominē Christianum uideris crucē adorare, scito id ab eo fieri propter Christum crucifixum, non autem ut lignum adoret, alioquin omnia ligna agri adoraremus, sicut Israel adorauit nemora, & arbores, tu, inquiēs, Deus meus es, tu me procreasti. Nos autē non item, sed domini cruciatuum, & eorum, qui propter ipsum certamina sustinuerunt, monumenta picturasq; in Ecclesiis, atque ædibus habemus, omniaq; propter ipsum dominum nostrum facimus. Et rursum. Dic, ô Iudæe, quæ scriptura permisit Mosi, ut Iethrum socerum suum, qui cultor Idolorū erat, adoraret? Quæ Iacob, ut Pharaonem? Quę Abraham, ut filios Emmor? Quæ Danieli, ut Nabuchodonosor hominem impium? Erant'ne illi iusti, & Prophetæ, nec'ne? Quòd si propter præsentem & breuē istam uitam hæc fecerunt, cur succenses mihi, quòd adorem sancta sanctorum monumenta scripturis & historiis comprobata, cruciatusq; & certamina, ex quibus quotidie utilitatem, perpetuamq; uitam accipio & sempiternam?

Ex historiæ Ecclesiasticæ Theodoreti Tomo quarto.

Hoc consulatu VIII. Cal. Ianuarii res admiranda, terribilis, & singularis, qua aures audientium obstupebant, euenit. Olympius enim quidam nomine cũ Euthymius Arianæ factionis defensor cursorem saltantem citaret in balneis palatii Eleniani, accedens ad eum, qui pręmolliebat, & quosdam qui lauabãtur, ὁμοουσίου, hoc est, eiusdem essentiæ uocem de filio dici comprobantes conspicatus, illiusmodi uerbis eos compellauit, quid enim est, inquiens, Trinitas? aut quo nõ in pariete inscripta est? Membrisq; corporis necessariis apprehensis, ecce, inquit, & ego Trinitatem habeo. Qua re qui illic aderant, commoti illum erant interfecturi, sed in ualli ambitu prohibiti sunt à quodam Magno sanctorum Apostolorum presbytero uiro admirando, Deiq; studioso. Qui sic eos est allocutus: Iustitiæ non latet oculum cuncta spectantis & punientis. Quum igitur hominis ueneratione quieuissent, surrexit Olympius, & calidarum aquarum balneo lotus, ut fit, ad illud, quod frigidas continebat, egreditur. Suscipit enim aquas è terra medium uenerandi altaris sanctæ ædis Stephano protomartyri dicatę, quã Aurelianus inter ueteres pręcipuis dignitatibus illustris exædificauit. Ex quo diuinis aquam spectaculis fieri dignam existimo. In hanc ille cũ descendisset, confestim egressus est, clamans: Miseremini mei, miseremini. Et carnes suas unguibus dilanians ab ossibus diuellebat. Hũc

illi,qui circum aderant comprehensum, linteo inuoluerunt,& præ frigore animo deficientem reclinarunt. Rogantibus autem, quid nam illi contigisset, respondit Olympius: Hominem uidi candidis indutum uestimentis, qui super Nerophorum incedens tres mihi calidæ siclas infudit, ne male dixeris, inquiens. Qui igitur erant illi necessitudine coniuncti sublatum in aliud balneum, quod Arianorum hærebat Ecclesię,gestarunt. Verum cum ex linteo uellent illum eximere, omnes illius carnes dilacerarũt, atque ita moriens animam efflauit. Quæ quidẽ res per totum fere peruagata regnum est. Prodiderunt autẽ quidam Olympium,cui id contigerat,quodam tempore ab eorum, qui filium homousium,hoc est,eiusdem essentiæ cum patre fatebantur, cœtu ad Arii partes defecisse. Verum cũ ad aures regias res peruenisset, erat autem Rex Anastasius, Iussit miraculum in tabula coloribus expressum supra Nerophorũ collocari. Ioannes autem quidam ædis illius, de qua supra mentionem fecimus, Stephano Protomartyri sacræ Diaconus & curator, uir, qui ut siquis alius,decreti illius, quo filius eiusdem cum patre essentiæ declaratur,se perpetuo studiosissimum ostendit, ipse quoque rem pictura, sed non simpliciter promulgauit. Nam eorum qui illic lauabantur, spectatoresq; fuerant,quiq; in balneo ministrabant, nomina inscripsit, & ubi eorum singuli habitarent, indi.

cauit. Quæ quidem pictura ad hoc uſque tempus rem ipſam teſtatur, in fronte quartæ porticus, quod ſæpe uocatũ eſt oratorium, affixa. Cæterum, quando res admiranda rem admirandam conſecuta eſt, cum eiuſdem argumenti ſit, nefas eſt eam contemnere. Itaque licet præſens ſubeat tempus, illam non grauabor commemorare. Cum enim illi qui Arii partibus ſtudebant, triumphum progredi perſpicerent, precibus impulerunt eum, cui palatii Elenianorũ cura fuerat demandata, ut tanquam balnei administrationis præfectus imaginem auferret, & abſconderet. Hic facili inuenta excuſatione, quòd ob aquarum humiditatem eſſet corrupta ſuſtulit eam, (ut aiunt) inter diſputandum, & abſcondit. Verum cum Rex ſingula loca regia obiret atque inuiſeret, ad hunc quoque peruenit, & imaginẽ inquirendam, ac parieti rurſum affigendã curauit. At Eutychianum (miniſtro enim illi id erat nomen) diuina quædam ſic inuaſit indignatio, ut dexter oculus ei diffflueret, peſsimeq; reliqua item membra confliſtarentur, quo ad ſacrum oratorium, ubi Beatorum Pantaleonis & Marini pars reliquiarum conſeruatur, accederet. Quod quidem oratorium concordia uocatur, quoniam illuc Epiſcopi centũ & quinquaginta Imperatore Theodoſio Magno regnante concordes in eam ſententiam conuenerunt, ut diuinę Trinitati eandem eſſentiam conſtituerent, & dominũ ex uirgine hu-

manam assumpsisse carnē declararent. Verum cum illic septem circiter dies cōmoratus nihil acciperet adiumenti, quinetiam gemini excederentur, media quadam nocte minister, cuius erant partes, ut totam noctem insomnis duceret, secundum quietem uidet quendam Regem astantem, manuq; illum, qui ægrotabat, ostendentem, dicentemq; : Quomodo hunc suscepisti? Ecquis huc eum adduxit? Iste cum illis sentit, qui in me maledicta coniiciunt. Iste miraculi abscondit imaginem. Clericus igitur somno solutus, quod in quiete uiderat, enarrauit, negans, fieri posse, ut is ab ea calamitate liberaretur. At Eutychianus eadem nocte cum doloribus subactus obdormisset, adolescentē quendam Eunuchum astantem uidet, splendido indutum uestimento, seq; sic alloquentem: Quid habes? Cum autem ille, ui morbi consumptus pereo, nec curationem ullam inuenio, respondisset, audiuit eum dicentem, nemo tibi potest opitulari. Rex enim uehementer iratus est tibi. Ipse uero quem, inquit, mouebo? aut quid faciam? At ille si uis, inquit, curari, ad Elenianorum balneum contende, & prope combusti Ariani imaginem quiesce. Protinus is experrectus unū è ministris uocauit. Admirati sunt autem, quoniam tertium iam diem uocis usu caruerat. Se igitur, ut fuerat imperatum, abduci iussit. Verum cum ad locum peruenisset, propter imaginem collocatus expirauit. Is enim,

quem in ſomnis uiderat, per animæ ſeiunctionem à corpore, morbi curationem ſignificans uera pronuntiauit.

Sancti Anaſtaſii è ſancto monte Sinai.

Quatuor paſſuum millibus Damaſco diſtat locus, qui Carſatas dicitur, quo in loco ſancti Theodori templum eſt, In hoc templum ingreſsi ſaraceni omnibus illud ſordibus & immunditiis ex fœminarum & puerorum, atque animalium rationis expertium commixtione fœdauerunt. Quadam igitur die cũ plures ipſorum conſiderent, & colloquerentur unus eorũ ſagittam in ſancti Theodori contorſit imaginẽ, & dexterum ipſius humerum uulnerauit, ſtatimq́; ſanguis defluxit, & ad extremam uſque imaginis partem decidit, omnibus id, quod factum fuerat, ſagittamq́; in humero ſancti defixam, & ſanguinem emanantem contuentibus. Quo tamen tam admirabili ſigno perſpecto non reſipuerunt, nec eum, qui ſagittam coniecerat, pœnituit, nec quiſquam eorum commotus eſt. Non receſſerunt è tẽplo, nec illud commaculare deſtiterunt. Attamen extremo ſunt affecti ſupplicio. Cum enim uiginti eſſent eorũ familiæ, qui in templo commorabantur, intra paucos dies acerbo omnes morbo deleti ſunt, cum eo in loco nemo ipſorum diebus illis interierit, exceptis iis, qui in tẽplo fuerant commorati. Hęc igitur imago ſagitta perculſa adhuc ſupereſt, ſagittæq́; uulnus habet, & ueſtigium

sanguinis. Multi autem eorum, qui rem uiderunt & eo tempore fuerunt, quo res hęc admiranda contigit, adhuc uiuunt. Et ego eius imaginem uidi, & quod uidi monumentis mandaui.

Ex uita sancti Simeonis rerum admirabilium effectoris, narratio Arcadii Archiepiscopi Cypri, miraculũ centesimum trigesimum secundum.

Contigit autem illis diebus, ut uir quidam mercator ciuitatis Antiochiæ graui molestia ab improbo dæmone affligeretur, diuq; angeretur, adeo, ut suffocaretur interclusa spirandi facultate. Hic profectus ad sanctum, & eius precibus sanitatem sic assecutus, ut si nihil unq̃ perpessus esset, cum in propriam domũ rediisset, ut grati animi significationẽ daret, in loco ciuitatis publico atque illustri supra fores officinæ suæ imaginẽ statuit. Hanc infidelium quidam conspicati luminibus & uelis decoratam, zelo pleni sui similes homines incompositós concitarunt, ut multitudo cõueniret, confuseq; uociferaretur: Tollatur è uita, q hoc fecit, & imago deiiciatur. Diuina autẽ prouidentia factum est, ut tunc domi suæ uir non inueniretur. Cupiebant enim illũ interficere, cũ alius aliud clamaret. Nam eorũ nequitia multa & magna erat in conspectu Dei ualde, & immensa inuidia, qua quidẽ impulsi eo conuenerunt, existimantes se nactos esse occasionẽ, qua sanctum hominem opprimerent, & afficerent ignominia, q͂ sæpe

impietatem & errorem illoꝝ, qui cum ipsis de religione male sentirent, redarguisset. Cũ igitur tantam insaniam cohibere non possent, cuidam militum mandarunt, ut gradus conscenderet, & imaginẽ deturbaret. Qui cũ ascẽdisset, & manus extẽderet, ut iussa perficeret, statim collisus est, è superiore loco delapsus deorsum in terrã. Et magnus tumultus in turba est excitatus. Inflãmatiq; perrexerunt, alterũ adhibere, qui manu protenta cum detrahere imaginem ipse quoq; conaretur, humi pariter afflictus est. Quo quidem facto metu omnes perterriti crucis signũ sibi ipsi cœperunt admouere. Verum cũ adhuc infideles illi insanirent, tertium eodẽ impellere nõ destiterunt, qui cũ manũ extendisset, ut imaginem deiiceret, ipse quoq; similiter cõfractus in terram decidit. Tunc fideles oẽs qui circunstabant magnus inuasit timor, & infidelium cęcitatem atque audaciam admirati, imaginem adorantes cum precationibus discesserunt.

Sancti Ioannis Chrysostomi, ex illa oratione; Scitote in medio laqueorum incedere.

Ne igitur mœrore opprimamur, charissimi, ne'ue pręsenti calamitate animis cõcidamus, sed diuinæ sapientiæ cõsilium admiremur. Quibus enim rationibus Diabolus se ciuitatẽ nostram oppressurũ existimauit, iisdem eã Deus erexit, & excitauit. Diabolus enim nefarios quosdam homines incitauit, ut Regum statuas afficerent

ignominia,

ignominia, ut ipsum ciuitatis solum euerteret.

Eiusdem.

Sed posteaq̃ hæc facinora fuerunt admissa, scelesti ac nefarii quidã conculcatis legibus statuas sustulerunt, & in extremi supplicii periculum oẽs adduxerunt, & nunc irato Imperatore de uita ipsa solliciti sumus, non amplius angit pecuniæ iactura, sed aliud. Audio omnes ita loquentes: facultates accipiat Imperator, ex plateis atque ædibus ultro discedemus, corpora tantum nuda seruaturum aliquis polliceatur. Quemadmodum igitur hic priusquam mortis timor nobis immineret, pecuniꝙ damnũ stimulabat, sic ubi hæc contra leges facinora patrata sunt, mortis timor pecuniariꝙ iacturæ dolorem depulit.

Eiusdem.

Si quis in latronum spelunca deprehẽdatur, quanuis ipse non latrocinetur, nescis eum idem cũ latronibus supplicium subire? sed quid ego latrones cõmemoro? Vos utique scitis oẽs, & memoria tenetis, cũ nefarii quidã homines & impostores apud nos statuas sustulissent, eos, qui facinori interfuerant, oẽs plane in carcerẽ coniectos extremas cũ illis pœnas pependisse.

Theodoreti Episcopi Cyri, ex Philothei historia de Macedonio Asianito.

Alias cum ciuitas ab improbo dæmone in furias ageretur, quo morbũ expelleret, furorẽ in regias statuas euomuit inconsiderate.

Ex Ecclesiastica historia Theodori lecto-

ris Constantinopolis de quodam Palladio hæretico.

At Episcopus Antiochiæ Palladius, ut ab Imperatore gratiam iniret, eos, qui sancta Chalcedonensis concilii decreta sequebantur, despiciebat, & sanctorum Patrum imagines sustulit.

Ex sancti Constantini uitæ libro tertio capite quarto.

Quæ igitur ipsi collibuerant, perfecta sunt. Quæ uero ad inuidiam & odium pertinebant, ecclesias Alexādriæ uehemēter perturbabāt, & inter Thebanos atq; Aegyptios dissidia aliaq; non parua mala concitabant, cū in singulis ciuitatibus Episcopi aduersus Episcopos & aduersus populos populi consurgerent, tantumq; nō confligerent, seseq; mutuis cędibus profligarēt. Vidisses homines mente captos inconsiderate statuas etiam Imperatorū afficere contumelia.

Ecclesiasticæ historiæ de iis, qui cum Dioscoro sentiebant.

Eò prouectus est audacia, ut beatorū, qui illic fuerant, Episcoporū nomina, sacerdotum gemi norum sustulerit, tyranniceq; combusserit.

Eiusdem historiæ de illo, qui post Macedonium hæreticum Constantinopolis sedem susceperat.

Impius iste è conuentibus discedens, & sanctas ędes iubens inuisi, sicubi Macedonii nomē imagini adscriptum non reperiebat, eam si minus tollebat è medio, ibi certe non sacrificabat.

Eiuſdem hiſtoriæ de Iuliano, & Timotheo, qui & Elurus dictus eſt.

Iulianum hunc prædicti Macedonii opera cum Timotheo Epiſcopo conſenſiſſe norunt, qui tumultu lætantur. Et quã ob cauſam conſenſit? Per eos, qui miniſtrabant, ipſi citius adductum præſentibus etiã ciuilibus magiſtratibus in ædibus Epiſcopi cogebant ea, quæ in Chalcedonenſi concilio decreta fuerant, anathemati ſubiicere. Senex autẽ imaginibus mortuorum ſacerdotũ Phlauiani, & Anatolii Archiepiſcoporũ, Conſtantinopoli depictis, per quos Chalcedonenſis concilii decreta robur acceperant, ſupplicans, exclamauit, ſi nõ uultis, inquiens, admittere ſancti concilii decreta, Epiſcoporum imagines anathemate damnate, & ſacerdotes geminos delete.

Chryſoſtomi ex oratione in ſanctum Phlauianum Antiochiæ.

Et turba oſtendit id, quod eſt, ſtulto enim utens impetu militari in Imperatorum imagines & ſtatuas impetum fecit, easq; deiectas per forũ traxit, furor enim animos rabidos effecit, & indignatio mentis oculos excœcauit.

Eiuſdẽ orationis, ex Patriarcha Phlauiano, ad Theodoſiũ magnũ Imperatorẽ.

Peccauimus, Imperator, non cœlamus peccatum, quod orbis reprehendit, non negamus inſaniam, qua in tuas imagines, immo uero in nos ipſos debacchati ſumus ſed ad benignita-

tem ut condemnati confugimus.

Et rurſum eiuſdẽ ex oratione Phlauiani.

Ne tam multas imagines euertas propter unã æream: Ne conteras tot opera diuina propter opus unũ ęneum, quod facile poteſt conflari.

Eiuſdẽ Chryſoſtomi. Vnum eſſe ueteris & noui teſtamenti auctorem, & in ſacerdotis ueſtimentum.

Ego autẽ & ſynceram ſcripturã colo pietate plenam. Noui enim Angelũ in imagine barbarorũ copias perſequentẽ, & barbarorũ agmina profligata, & Dauidem uera dicentẽ: Domine, in ciuitate tua imaginẽ ipſorũ ad nihilũ rediges.

Sancti Baſilii in laudem ſanctorum quadraginta Martyrum.

Huc igitur eos in medium per cõmemorationem adducentes cõmunem ex ipſis utilitatẽ præſentibus afferamus, quæ â uiris ſtrenue geſta ſunt, omniũ oculis tanq̃ in tabula ad uidendum propoſitis. Quandoquidẽ & ea, quę fortiter in bello geruntur, & ab oratoribus, & â pictoribus indicantur: Oratores enim illa uerbis exornant, pictores autẽ in tabulis exprimunt. Atq; ita multos utriq; ſolẽt ad uirtutẽ excitare. Quæ enim hiſtorię ſermo auribus proponit, ea per imitationem pictura tacens oſtendit.

Sancti Gregorii Nazanzeni ex uerſibus.

Aut ne doceas, aut moribus doce.
Ne uerbis quidẽ allicias, factis autẽ propellas.
Re pręſtes, qđ oportet, & orõne non erit opus.

Pictor formis expressis amplius docet.

Eiusdem metaphrasis.

Nisi moribus, inquit, doces, non est, cur uerbis doceas, ne quos oratione cohortaris, eos prauis moribus deterreas tuis. Si enim feceris ea, quę recta sunt. Ipsa recte facta doctrinę locũ obtinebunt. Quemadmodũ pictores exemplis fere docent.

Eiusdem.

Neque uero Polemon à me silebitur.
Etenim est inter eos, qui ualde celebrantur
admirabilis:
Hic primo non erat hominum temperantium
in numero,
Sed admodum turpis uoluptatum seruus.
At ubi honestatis amore captus est,
Sapientis'ne cuiusquã consilio, an sponte sua
Haud facile dixerim, statim
Cupiditatum uictor apparuit,
Rem autẽ de illo unam exponã admirabilem.
Adolescens quidam intemperans meretricem
aduocat,
Hæc ubi ad ostium accedit, ut ferunt,
In quo ueneranda Polemon imagine
Expressus despiciebat, eius deterrita
Aspectu discedit, pictum non aliter
Verita, quàm si uiuentem cerneret.

Chrysostomi ex Epistolæ ad Timotheum capite octauo.

Sed esto forma fidelium in omnibus proponens te ipsum formam bonorum operum.

Ideſt exemplo uitæ ſis ueluti imago propoſita ad imitandum.

Ex uerbis in ſancta ſexta ſynodo pronũtiatis.

Rurſum Neſtorius, rurſumq; Celeſtinus, & Cyrillus. Ille enim Chriſtũ diuidebat, & diſtrahebat. Hi uero domino opitulantes diuiſorem ipſum expugnarunt. Epheſus hæc, & eorum, quæ illic geſta ſunt, depictæ tabulæ uoce non ſcripta tacentes rem eloquuntur.

Antiquiſsimi Clementis ad Alexandrum ex libro ſtromatum ſexto.

Itaq; non ſolũ laudat, quę recta ſunt, ſed ipſe nititur eſſe bonus. Ex bono fideliq; ſeruo per charitatẽ amicus euadens habitus perfectione. Quod quidẽ doctrina uera, exercitationeq; multa plane conſequitur, ſic igitur ad cognitionis faſtigium aſcendit, dum uitã moresq; cõponit, ſeq; in officio cõtinet, & oẽs illas prærogatiuas cõparat, quę ſunt illius proprię, qui ſe uere ſtudioſum, cognitionisq; cupidũ profitetur, tanq̃ exemplaria quędã intuens tam multos Patriarchas atq; Prophetas, qui ante ſe perfecti uirtutũ officiis extiterunt, innumerabilesq; Angelos conſiderans, qui nobiscum uerſantur, in primisq; dominum ipſum, qui docet, & præbet auxilium, quo perfectam principum illorum uitæ rationem aſſequi ualeamus.

Sancti Theodori Epiſcopi Pentapolis.

Rurſum uir quidam erat ex primariis illius

regionis nomine Dion, qui multis muneribus sancti Martyris tēplum ornauerat, & eius altare argenteum fecerat. Huic unus è seruis ipsius cum pecuniæ multū surripuisset, aufugit. Dion autē ipsum non est persecutus, sed ad Martyris imaginē accessit, cæraq; formā ipsius expressit, & sancti Martyris fide in uestibulo domus suæ infixit. Quo quidē facto seruus rediit, tanq̃ ab aliquo impulsus, & ad dñm suum uenit, nihil coꝝ, quæ furatus fuerat, auertens. Hoc apud oẽs ita percrebuit, ut usq; ad hodiernum diem fugiẽtibus terrori sint homines illius regionis.

Sancti Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi aduersus Arianos è libro tertio.

Filius autē cum proprium sit patris essentię germen, merito quæ patris sunt, sua dicit esse. Quamobrem cum dixisset, Ego & pater unum sumus, iure subiecit: Vt sciatis, me esse in patre, & patrē in me. Hoc item prædixerat, qui uidit me, inquiens, patrem uidit. Et in his tribus, quæ dicta sunt, idē est sensus. Qui enim nouit, filium & patrē unum esse, is nouit, ipsum in patre esse, & patrem in filio. Nam filii diuinitas patris est, & ipsa est in filio. Et qui hoc intellexit, is scit, eum, qui filium uidit, patrē uidisse. In filio enim cernitur diuinitas patris. Quod quidē exemplo imaginis Regis facile colligi potest. Siquidē in imagine species & forma Regis est, & in Rege species est imaginis. Expressa est in imagine Regis similitudo, ut qui uidet imaginem, in ipsa

Regem aſpiciat, & rurſum qui Regem uidet, intelligat, hũc eſſe illum, qui in ea ſit expreſſus imagine. Et quia non differt ſimilitudo, iccirco poſt cõſpectam imaginẽ uolenti Regẽ intueri, imago dixerit, Ego & Rex unum ſumus. Ego enim in illo ſum, & ipſe in me. Et quod in me uides, idem in eo perſpicis. Et quod in illo perſpexiſti, id in me cernis. Qui enim adorat imaginem, is Regem adorat. Nam illius formam & ſpeciem imago continet.

Eiuſdem ad Antiochum principem.

Quid ad hæc illi, qui aduerſantur, & negant adorandas ſanctorum imagines, quæ propter memoriam apud nos effinguntur?

Ambroſii Epiſcopi Mediolanẽſis ad Gratianum Regem, de uerbi Dei conſilio in aſſumenda humana carne.

Deus ante carnẽ, & Deus in carne. Sed uerendum eſt, inquit, ne duo principia, aut duplicem Chriſto ſapientiam tribuentes, diuidere Chriſtũ uideamur. Num igitur uerendum eſt, ne, cum diuinitatẽ ipſius & carnem adoramus, Chriſtum diuidamus? Aut cum in ipſo & Dei adoramus imaginem & crucem, ipſum diuidamus? Abſit.

Cyrilli Hieroſolymorum Patriarchæ ex duodecima Catecheſi.

Si cauſam igitur quæris aduentus Chriſti, ad primũ ſcripturę librum confugito. Sex dierum ſpatio mundũ creauit Deus. Sed mundus pro-

pter hominem creatus eſt. Sol quidem eſt lucidiſsimus, & ſplendoribus fulget, ſed hominis cauſa, quemadmodũ diximus factus eſt. Et animalia, quo nobis ſeruiant, facta ſunt uniuerſa. Gramina & arbores, ut illis fruamur. Omnia Dei opera creata ſunt ualde bona, ſed eorũ nullum eſt imago Dei, pręter hominem. Sol mandato ſolo creatus eſt, homo uero diuinis manibus conflatus. Faciamus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Lignea terreni Regis imago colitur, quanto magis imago Dei ratione prædita?

Sancti Baſilii ad Phlauianum de muliere Samaritana.

Patriæ conſuetudinis errore decepta in loco adorationem concludi exiſtimabat. Dominus autẽ docet adorationẽ fieri oportere in ſpiritu & ueritate, ſe ipſum nimirũ indicans, qui ueritas eſt. Quemadmodum in filio dicimus patrẽ adorare, tanq̃ in imagine Dei patris, ſic & in ſpiritu, ut qui in ſe ipſo domini diuinitatẽ oſtendit.

Sancti Gregorii Nazanzeni in Baptiſmũ.

Si te poſt Baptiſmum lucis hoſtis adoriatur, adorietur enim, nam uerbum etiam & Deum meum adortus eſt, lucem nimirũ abſconditam per id, quod cernebatur, habes, quo uictor exiſtas, ne formides certamen. Spiritum obiice, aquã obiice. Et paulo poſt, ſigno confiſus dicito, imago ſum Dei. Ex cœleſti gloria non, quẽadmodũ tu, deiectus ſum. Chriſtũ indui, me in

Christũ baptismate cõmutaui. Tu me uincito.

Sãcti Ioãnis Chrysostomi in Machabęos.

Regiarum imagines formarum non ex auro tantum, argento'ue, atque ex alia præclara materia conflatę fulgent, uerum etiã ex ære continent eandem expressam effigiem. Et materiæ differentia nihil officit imaginis dignitati. Neq; propterea quòd minoris honoris particeps sit, iccirco quem à maioribus percipit, honorem imminuit. Forma enim regia omnẽ æque materiam præclarã reddit, nec ipsa ullum ex materia damnum facit; sed materiam, à qua suscipitur, efficit honoratiorem.

Eiusdem aduersus Iulianum illum impium ex prima oratione.

Quid autem nouus hic Nabuchodonosor. Nihil enim humanius iste in nos, q̃ uetus ille, præ se tulit. Cuius carbones, licet flãmam effugerimus, nos adhuc affligunt. Non'ne munera sanctorum in Ecclesiis posita ad fidelium adorationem, corporis detrimentum declarant?

Eiusdem in peluim.

Vt enim cum Regum effigies & imagines in urbem admittuntur, atque gestantur, magistratus & populi faustis cum acclamationibus & ueneratione procedunt obuiam, non tabulas aut cereas picturas honorantes, sed Regiã imaginem. Sic etiam res procreatæ.

Seueriani Gabalorum Episcopi in crucem, ex oratione quarta.

Percussit Moses petram semel atque iterũ, cur autẽ semel, atq; iterum? Si Dei uirtuti pa-ret, quid est opus secũda percussione? Sin per-cutit sine uirtute Dei, nec secunda, nec decima, nec centesima percussio rei sterili fœcundam afferre naturam queat. Si igitur plane est opus Dei, nec crucis mysteriũ continet, satis est uni-cus ictus, satis est nutus, satis est uerbum. Verũ ut crucis imaginem designet, id agit. Percussit, inquit, & semel, & bis non eodẽ modo, sed ita, ut crucis formam describeret. Vt natura etiam inanimis crucis notã ueneraretur. Nã si Regis absentis imago Regis gaudium explet, eamq; magistratus adorant, dies festi celebrantur, ma-gistratus obuiam procedunt, & populi uene-rantur, non tabulæ, sed Regis imaginis habita ratione, qui non in natura perspicitur, sed in pi-ctura declaratur, multo magis imortalis Regis imago potest non modo petram, sed cœlum, & terram uniuersam perfringere.

Ex tẽporis descriptione Isidori Diaconi.

Peccauit Theophilus Ioãnẽ Chrysostomũ apud Eudoxiam Reginã afficiens contumelia, quod Origenis hęresim sectaretur. Succensebat Augusta Ioãni propter uineam uiduæ. Theo-philus ob illud peccatum nõ poterat animam agere, donec allata fuit imago Chrysostomi, quam ille cum adorasset, spiritum emisit.

Hieronymi Hierosolymorũ Presbyteri.

Cum uestra uobis scriptura uetet omnino

crucem adorare, cur ipſam adoratis? Quid nobis Iudæis, & Græcis, & aliis gentibus nos interrogantibus ad hoc reſpondebitis?

Reſponſio.

Ob id, ò ſtulti & tardi corde, fortaſſe Deus permiſit omni genti Deum colenti, ut aliquid omnino ſuper terram ueneraretur, quod eſſet hominis manu perfectũ, ne Chriſtianis poſſent crimini uertere, ꝙ crucem, aut imagines adorarent. Quemadmodum igitur Iudæus teſtamẽti arcam adorauit, & duo Cherubim conflata, & aurea, & duas tabulas, quas Moſes expoliuit, cum Deus ei non cõmiſiſſet, ut ea adoraret, aut coleret, ſic etiam nos Chriſtiani crucem non ut Deũ colimus, ſed ut noſtrã animi propenſionẽ in eum, qui cruci affixus eſt, oſtendamus.

Magni Simeonis, admirandi montis, de imaginibus.

Ac infidelium quiſpiam litigioſus fortaſſe dubitabit, aſſeretq; nos itẽ in Eccleſiis imagines adorantes in eorum numero haberi, qui ſimulachris inanimis ſupplicant. Quod quidẽ abſit, ut à nobis fiat. Fides enim eſt illa, quæ uiget apud homines Chriſtianos. Deus autẽ uirtutes operatur. Neque enim terrenis rebus, ſed memoria exemplaris literæ, per picturã, quæ cernitur, Deum, qui cerni non poteſt, tanquã præſentem collaudamus, non Deo credentes, qui non ſit, ſed qui uere exiſtat, nõ ſanctis, qui nulli ſint, ſed qui plane ſint, & uiuant apud Deum,

et ipsis spiritibus, qui sancti sunt, quiq; uirtute Dei dignis hominibus tanquã auxilio ipsorum indigentibus opitulantur.

Anastasii Episcopi Antiochię ad Simeonem Bostrorũ Episcopũ de sabbato.

Quemadmodum enim absente Rege imago ipsius adoratur, præsente autem, absurdum sit exemplari posthabito imaginem adorare, nec tamen propterea quòd præstò sit is, propter quem imago adoratur, iccirco imago ipsa contenitur: Sic ego de legis umbra, seu litera, (hanc enim Apostolus umbrã appellat) contingere existimo. Quãdiu enim ueritatis tempus gratia condidit, figuras homines sancti prædixerunt, ueritatem tanq̃ in speculo contemplantes. At ubi ueritas uenit, iniquũ esse censuerunt, ut secundũ figuras uiueremus, & eas amplius sequeremur. Rebus enim præsentibus, ipsarũ rerum figuræ superuacaneæ sunt. Quod cũ ita sit, figuras tamen non abiecerunt, nec contempserunt, sed potius honorarunt, & eos, qui conarentur eas despicere, impios, morteq; dignos ob supplicii acerbitatem iudicarunt.

Eiusdem ex oratione tertia.

Vt si quis imaginem Regis, ex officio, quo Regi debetur honor, adoret, cũ tamen non nisi ex cera & coloribus constet.

Sancti atque Oecumenici quinti concilii excommunicatio.

Si quis Theodorum impium Mopsuestiam

tueatur, atque defendat, dicentē, alium esse Deū uerbum, & alium esse Christum animi perturbationibus, & carnis cupiditatibus obnoxium, & ex deteriore paulatim progressum, atque ita operum proposito meliorem factum, & ciuili ratione uiuendi, quæ reprehendi non poterat, constitutum, uti nudum & purum hominem fuisse baptizatū in nomine patris & filii & spiritus sancti, & per baptismum spiritus sancti gratiam suscepisse, & dignum euasisse, qui per adeptionē filius fieret, & regiæ instar imaginis in Dei uerbi persona adoraret, anathema sit.

Theodori historiographi Constantinopolis ex historia Ecclesiastica de Gennadio Archiepiscopo Cōstātinopolis.

Alia autem de ipso admiratione & stupore plena cōmemorabo. Pictoris cuiusdā, qui Christi domini imaginē pinxerat, manus exaruerāt. Dicebatur autē Græci cuiusdam mandato opus illud specie nominis seruatoris ita pinxisse, ut ex utraque capitis parte capilli secernerentur, ne impediretur obtutus, ea nanq; figura Iouē à Græcis depingi, ut qui illum aspicerent, seruatori uiderentur adorationem exhibere.

Maximi Abbatis, & Theodosii Episcopi, & magistratuū, qui à Rege fuerant missi.

Sanctus Maximus, quando, inquit, hæc uti fiant, decretum est, egrediantur illi, qui decreuerunt, & quocunq; iusseritis, sequar uos. Et post hæc omnes consurrexerunt, & cum lacrymis

egerunt pœnitentiã, precesq; fuderunt, & eorũ singuli sancta Euangelia, & crucem pretiosam, & Iesu Christi seruatoris, & quę illum peperit, sanctę Dei genitricis, imaginem deosculati sunt, manus complodentes ad eorum, quæ dicta fuerant, comprobationem.

Sãcti Sophronii ex miraculis sanctorum Martyrum Cyri & Ioannis in Theodorũ subdiaconũ podagra laborantẽ.

Deinceps autem curationem etiã corporis breuiter persequamur. Diebus his paucis transactis cum dormiret, rursum astantes Martyres uidet, ut se sequeretur, imperantes. Ipse uero prompte secutus est. Sciebat enim nõ posse nõ expedire, Sãctos sequi. Græcorũ igitur tẽplum specie quidem augustum & splendidissimum, magnitudine autẽ cœlos ipsos attingens, adeuntes, atq; ingredientes, maximã & admirandam imaginem cernebamus, quæ medium quidem dominum Christum coloribus depictum, sinistrorsum autẽ dominã Dei genitricẽ, dextrorsum uero Ioannẽ Baptistã, qui ipsum ex utero exultationibus indicauerat, quoniam uox eius intus exaudiri nõ poterat, & quosdã ẻ glorioso Apostolorũ & Prophetarũ choro, & Martyrũ cœtu, inter quos erant Cyrus & Ioãnes Martyres, continebat. Qui ante imaginẽ stantes genibus flexis, & humi capita inclinantes ante dñm prociderunt, pro adolescentis ualetudine supplicantes. His autẽ uerbis supplicabãt. Benigne

domine, iubes, ut huic quoq; sanitatem tribuamus? Verũ cum sæpe se in terrã prosternentes adorassent, & uerba supplices profudissent, nec dominus Christus annueret, precari destiterũt, tristesq; atq; animo deiecto ad me reuersi sunt, qui haud ita procul ab imagine cõstiterã. Cum igitur ad me ꝓpius accessissent, uides, inquiunt, quomodo sanitatem tibi dñs negat? Verum ne despõdeas animũ, omnino enim erga te quoq;, ut erga omnes, se benignum præbebit. Et semihoræ spatio interiecto surgentes redierunt, atq; iterum supplicabant. Sed rursum, inquit, re infecta reuerterunt, tristes, animoq; deiecto, quemadmodum prius, ꝙ dñs Christus nõ imperaret. Et hęc mihi rursum redeuntes narrant. Sed tertio profecti bono, inquiunt, sis animo. Nunc enim, gratiã impetrabimus. Verum tu quoq;, quẽadmodũ uides nos supplicantes, nobiscum profectus, Dñm supplex deprecare. Et tertio ad imaginem accedentes, eisdem rationibus & uerbis usi sunt. Cumq; diu precati essẽt, humiq; prostrati, hoc solum, iube domine, clamarent, Tunc Christus clementia miserationeq; cõmotus, Date etiam ipsi, ex imagine ait, & ex humo surgentes Martyres primum quidem Christo gratias egerunt, ꝙ preces suas exaudisset.

Sancti Anastasii sancti montis Sinai in nouam Dominicam & in Apostolorum Thomam.

Qui Christũ in carne cernebant, Prophetam ipsum

ipſum exiſtimabant, nos autem, qui illum non uidimus, ſtatim à teneris unguiculis pueri adoleſcentuliq; Deum ipſum, dominum, & omnipotentem, & ſeculorum effectorem, ſplendoremq; patris confitemur. Sic enim eius Euangelia cum fide auſcultamus, ut ſi ipſum Chriſtum loquentem uideremus. Et immaculatam corporis eius margaritam ſuſcipientes, geſtare nos illum ipſum Chriſtũ arbitramur. Quinetiam ſi diuinam ipſius effigiem pictura tantum expreſſam aſpicimus, tanquam è cœlo nos intuentem ducimus, adoramus, procidimus. Magna nunc eſt Chriſti fides.

Ex uita Beati Danielis de Eulogio lapicida.

Tunc paruifaciens diſceſſit, ſeq; ante Dei genitricis imaginem proſternens cum clamore uoces has effundebat: Domine ſolue debitum hominis iſtius à me.

Ex uita Mariæ Aegiptiæ,

Lugens igitur ſupra locum in quo conſtiteram ſanctæ Dei genitricis imaginẽ collocatam aſpicio, & hiſce uerbis eam compello: Virgo Dei genitrix, Domina, quæ Deum uerbum in carne peperiſti: Scio equidem, ſcio, æquum, & decorum non eſſe, me adeô ſordidam, atq; impuram intueri puram imaginẽ tuam, quę uirgo ſemper extitiſti, ſed iure me puritas tua odiſſe debet, & auerſari. Verum quando Deus, qui carnem ex te ſuſcepit, iccirco factus eſt homo,

ut peccatores ad pœnitentiam uocet, mihi fer opem, quæ sola nullũ profugium habeo. Iube, ut etiam mihi aditus pateat, ne priues me conſpectu illius ligni, in quo ſecundum carnẽ confixus fuit Deus uerbum; quem peperiſti; qui ſanguinẽ proprium pro me pretium profudit: Iube, Domina, ut mihi quoq; ad diuinæ crucis adorationem aditus patefiat. Te Deo ex te genito tanq̃ locupletem fideiuſſorẽ exhibeo, me carnẽ hanc nulla unq̃ amplius turpi cõmixtione cõmaculaturam. Sed ubi lignum crucis filii tui perſpexero, ſtatim mundo, & omnibus, quę in mũdo ſunt, nuntium remiſſurã, confeſtimq́; proficiſcar, quocunque tu, quæ pro me fideiubęs, imperaueris, atq; perduxeris. Hæc locuta, fideiq́; uaticinium, tanquã promiſſum aliquod certũ, accipiens, Dei genitricis benignitate confiſa, ex eo loco, in quo conſiſtens precata fuerã, me promoueo, & ingredientibus adiungo, nec amplius offendo, qui ingreſſu me arceat, atque propellat, aut uetet, quo minus ad fores accedam, per quas in ædẽ introieram. Horror igitur ac ſtupor inuadit me, totoq́; corpore tota concutior ac contremiſco. Itaq; cũ humi proſtrata ſanctũ illud ſolũ adorauiſſem, egredior, curſuq́; ad eam, quæ pro me ſpoponderat, contendo, atq; in eo loco conſiſto, in quo ſpõſionis chirographum erat exaratum, genibusq́; ante Dei genitricis imaginẽ flexis ſic eam alloquor. Tu quidem, benigna domina, ꝗlementiam erga me

tuam ostendisti, tu indignæ precationem non despexisti. Aspexi gloriam illam, quam meritò nos impuræ non intuemur. Gloria Deo, qui peccatorum per te pœnitentiam admisit.

Ex uita beatæ Eupraxiæ.

Diaconissa uero ad puellam abi, inquit, domum tuã, quia non potes hic permanere. Neq; enim in hoc loco cuiq̃ licet cõmorari, nisi cum Christo coniungatur. Puella autem ubi est, inquit, Christus. At illa ostendit ei domini imaginem. Cui puella conuersa uere, inquit, ego cũ Christo coniungor, neq; amplius cum domina mea discedã. Et rursum consurgens Eupraxia, filiamq; suam apprehendens, Dominicæ imagini ipsam admouit, manibusq; sublatis in cœlum magna uoce clamauit. Domine Iesu Christe, puella tibi erit curæ, quando te concupiuit, seq; ipsam dicauit tibi.

Sancti concilii sexti sub Iustiniano celebrati de sancto concilio quinto.

In quibusdam sanctarum imaginum picturis agnus exprimitur, quem præcursor digito demonstrat. Hic agnus charitatis continet notam. Refert enim nobis uerum illum agnum, quem lex significabat, nẽpe Christum Deum nostrum. Nos igitur ueteres figuras atque umbras, ut ueritatis notas & signa Ecclesię tradita, complectentes gratiam & ueritatem anteponimus, quam ut plenitudinem legis accepimus. Itaque ut id quod perfectũ est in picturis etiam

omnium oculis subiiciamus, Agnum illum, qui mundi peccatum tollit, Christum Deum nostrũ, loco ueteris agni humana forma posthac exprimendum decernimus. Vt per humilitatem, Dei uerbi celsitudinem cogitemus, & in memoriam cõuersationis eius in carne, & cruciatuũ, ac salutiferæ mortis ipsius, ex qua mũdo redemptio parta est, reducamur.

Sancti Methodii Episcopi Patarensium de resurrectione oratio II.

Protinus ergo quæ sunt hic Regum imagines, quanuis nõ ex pretiosa auri argenti'ue materia consistant, ab omnibus tamen honorantur. Neque enim, quæ ex pretiosa materia conflatæ sunt, homines duntaxat colunt, quæ uero ex uili, contemnunt, atque aspernantur; sed omnes, quæ sunt in terra, colunt, licet ex ære gypso'ue existant. Et quisquis in earum aliquam, qualiscunque fuerit, maledicta coniecerit, is non, tanquam lutum spreuerit, aurum'ue contempserit, absoluitur, sed non aliter, ac si in ipsum Regem impius extitisset, condemnatur. Quas quidem ex auro imagines conflamus Angelorum ipsius principatus & potestates referentes, eas ad honorem & gloriam eius conficimus.

Tertię orationis sancti Ioãnis Damasceni de sanctis imaginibus finis.

SANCTI PATRIS NOSTRI, & confessoris Theodori studiorum præfecti oratio dogmatica de honore atque adoratione sanctarum imaginum.

FRATRES, & patres, heri cum præcursoris memoriam celebrassemus, nobis omnino subiit & uitæ in Monasterio transactæ recordatio, & quomodo tunc simul omnes in domo Dei uersaremur, & in eodē sensu & concordia incederemus, nunc autem alius alibi diuersis in locis & regionibus dispersi simus. Verum quoniam hoc accidit propter uerbū Dei, nobis gaudendū est, ut ipse præcipit, Gaudete, *Matt. 5.* inquiens, & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Et quia domino similes sumus, Qui, si me, inquit, persecuti sunt, & uos *Io. 15.* persequentur. Si sermonem meū seruauerunt, & uestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient uobis propter nomen meum, quia non nouerunt eū, qui misit me. Enimuerò quemadmodū Iudæi, filium non suscipientes, patrem ignorarunt: Sic & imaginum oppugnatores, Christi non admittentes imaginem, Christum ipsum ignorant. Ac ueritas quidem clara & perspicua est, sed eam intelligit unus è millibus. Verum nefariam istorum sententiam considerate, quæ duplex est. Aut enim imagines nullo modo faciendas censent, aut faciendas quidem, sed illis

imaginibus pares existimandas, quibus bella, uenationesq; describuntur. Quamobrem nec adorandæ sunt, inquiunt, quãdo ne equi quidẽ, aut bouis, aut canis, aut leonis, aut pardi, aut serpentis, aut uolucris, aut piscis imagines adorantur. Quibus uerbis quis sensu prȩditus nõ ingemiscit? Quis non effundit lacrymas? Imaginem Christi, quam Angeli uenerantur, & dæmones reformidant, isti non uerentur feris, & quadrupedibus, & serpentibus, & uolucribus, & piscibus cõparare, atque contemnere. O cogitationẽ horribilem, & horribiliorem audaciam. Quid? quòd imaginem hominis hominẽ appellant, & bouis, bouẽ, & asini, asinũ, & cameli, camelum, & perdicis, perdicem, & aliorum eiusdem, aut diuersi generis, seu animalium, seu plantarum eodem modo, Christi uero, aut Dei genitricis, aut cuiusuis aliorum sanctorũ imaginibus nec exemplaris nomen, nec aliud ab eo deductum omnino tribuunt, sed simpliciter imagines uocant, cuius autem sint non adiiciunt, ne conuincantur. Adeo stulti sunt atque maledici. Vos autem, fratres, præter illa, quȩ à sanctis patribus nostris, & à nobis humilibus dicta sunt, attendite, & animaduertite, Si loca, in quibus natus est Christus, sancta atque adoranda & sunt, & appellantur, & si quis inde puluerem, aut lapidem sumpserit, eum ut rẽ pretiosam, & sacram colit, amplectitur, & charam habet, multo magis Christi colendam atq; adorandam imaginẽ,

in qua, tanquam in ſpeculo, ipſe eſt, qui conſpicitur & adoratur. Audio Romæ claues etiam principis Apoſtolorũ Petri in honore & precio haberi, cum tamen ei dominus non ex materia cõfectas claues dederit, ſed eas, quę ratione orationeq; ligant & ſoluunt. Ipſi uero ex argento conflatas proponunt adorandas. Tanta eſt ipſorum fides. Atque illic quidem eſt firma & infracta fidei petra uerbo domini fundata. Hic autẽ, ut uidetur, abundat infidelitas & iniquitas. Quapropter ego humilis et abiectus, animi dolore compulſus, & ueritus, ne ſilentii pœnas perſoluam, breuiter loquor ea pauca, quæ loquor. Nã ſi illi, qui aliter ſentiunt, & priuatim, & publice, & ſcriptis, & uoce linguas maledicas audent in Chriſtum mouere, quomodo nos, ſi domi confidentes, ne inter nos quidẽ ea, quæ conueniunt, colloquemur, aut domini feremus indignationem, aut patres noſtros imitabimur, qui in huiuſmodi temporibus taciturnitatem & tarditatem eſſe ueritatis proditionem exiſtimabant? Quamobrem & loqui, & audire, & uerbis, ac factis in hoc oportet incumbere. Nã & Beati Apoſtoli non diuina tantum prædicatione, ſed etiam uitæ innocentia & integritate orbem terrarum peragrantes, & peram ſolum ac baculum geſtantes, iis, qui in tenebris uerſabantur, ueritatis lumen, fatuis, & ignorantibus ſapientiæ ſalem afferebant. Hos utraque in re imitemur, fratres, rebus contenti præſentibus

ſimus, non auaritiæ, ſed paupertatis ſtudium complectamur. Hoc autem non propter uos, ſed propter eos, qui longè abſunt dictum eſt. In tẽpore progrediamur, mulierum, ex quibus mors eſt, conſuetudinem euitemus. Quòd ſi nos ita geſſerimus, Deus in nobis collaudabitur, magnifiet id, quod profitemur, & aduerſarii utcunque uerebuntur, & reſipiſcent. At ſi contra egerimus, metuendum eſt, ne pro beatitudine ſupplicium aſſequamur ſempiternum. Ipſe autẽ Deus pacis, qui omnia mutat, & conuertit in melius, eccleſiã ſuã in pace cuſtodiat, & nos erudiat, & oẽs ad cœleſte regnum ſuum perducat incolumes in Chriſto Ieſu dño nro, cui gloria, & imperiũ cũ patre, & ſancto ſpiritu nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum: Amen.

Errata ſic corrigenda.

Car. 9. pag. 2. uerſ. 1. rebus, conſiderandis & rebus conſiderandis, & ibid. uerſ. 5 expreſſe expreſſæ c. 10. p. 2. uerſ. 13. exhibemus, uel amicis & exhibemus uel amicis, & c. 11. p. 1. uer. 3. domini Domini *ibid. uerſ. 10. authorem auctorem c. 13 p. 2. uer. 7. At, enim At enim c. 18. p. 2. uer. 16. intelligentiæ* Intelligentiæ *c. 21. pag. 1. uer. 22. uerberibus eiſdem uerberibus, eiſdem c. 23. p. 2. uer. 3. Iudææ* Iudææ *ibid. uer. 27. ſimulachrorum ſimulacrorum c. 24. p. 1 uerſ. 14 ipſum ipſam c. 28. p. 2. uerſ. 7. imprimiſq; in primiſq; c. 37. p. 2 uerſ. 6.* Nos Non *c. 41. p. 1. uer. 28. intelligentiæ* Intelligentiæ *c. 50. p. 1 uer. 29. cõplexione complosione c. 52. p. 2. uer. 4. imprimiſq; in primiſq; c. 63. p. 1. uer. 4. unquã, non unquã. Et alibi:* Non *&c. c. 65. p. 1. uer. 14. complectere, corporum complectere.* Corporum *c. 68. p. 2. uer. 9. genitricæ genitrice c. 74. p 1. uer. 9. &* 10. *ue: ueſtrũ ueſtrũ.*

Reliqua tute, benigne lector, emendato.

VENETIIS M D LIIII.

4-3-8